HENRICI LEONARDI
SCHVRZFLEISCHII

HISTORIA

ENSIFERORVM,
ORDINIS TEVTONICI
LIVONORVM.



BIBL.
ACADEM.
DORPATENS.

VITEMBERGAE,
Sumptibus IO. GV. MEYERI, et GODOF
ZIMMERMANNI.

Ex Officina CHRISTIANI GERDESII.
A. clo Iocc.

Potentissimi Poloniarum Regis,
Serenissimiqve Saxoniae Electoris
SVMMO STATVS MINISTRO,
ET
CANCELLARIO MAGNO,
ILLVSTRISSIMO ATQVE
EXCELLENTISSIMO
DOMINO,
DOMINO
VVOLFFGANGO
DIETERICO
A BEVCHLINGEN,
Dynastae Hoyerswverdae et Tschornae, etc. etc. Regii
Danebrogae Ordinis Eqviti Aurato
Heroi in toga,

DOMINO suo Gratiosissimo,

dat dicatqve
obseqventissimus
H. L. SCHVRZFLEISCHIVS.

ILLVSTRISSIME ATQVE EXCELLENTISSIME DOMINE,

DOMINE Gratioſisſime.



vod iam pridem, qvanto potui deſiderio, exoptavi, id ſerius, qvam par eſt, capeſſo munus, non languore aut vitio animi, qvem in cultu

cultu maximi Nominis Tui defixum habeo, sed metu qvodam et conscientia tenuitatis meae, qvam ingenue confiteor, retardatus. Summus enim dignitatis Tuae splendor ita meos praestrinxit oculos, ut omnino conspectum tuum non ferant, et caligine impediti, magnam illam lucem videre non possint, qvae tot et tantos emisit gloriae suae radios, qvibus non provincias, sed regna, nec

finitimas modo, ſed exteras qvoqve et remotiſſimas ultimasqve gentes colluſtravit. Haec ſane eorum felicitas eſt, qvos natura ad communem patriae utilitatem genuit, qvi non unam tantum vrbem, aut regionem, modicis finibus circumſcriptam ſibi deſignant, ſed terrarum orbem, qvaſi campum virtuti ſuae aperiunt, in qvo ſine caſu et prolapſione continent er excurrunt, nec niſi con-

confecto, qvem propo-
fuerant, laudis curſu,
acqvieſcunt. Divinum
hoc, Illuſtriſſime DO-
MINE, et tua unius
mente dignum munus
eſt, qvo magis aliud ne-
mo in his terris reperiat,
adeo curis implicitum,
et difficile, ut multi in
medio ſaepe ſpatio opi-
nione citius relangve-
ſcant et frangantur.
Hoc magis mirabitur
poſteritas, Te unum di-
vinitus delectum eſſe e
multis, cuius tanta eſſet

virtus, qvanta Princeps in ſummo rerum faſtigio collocandus indigeret, qvanta novus Rex in publica Regni adminiſtratione uteretur. Non Te capiebat Saxonia, qvamvis eam non faſtidires, ſed Polonia qvoqve dotes Tuas reqvirebat, foedusqve et ſocietatem cum Saxonibus, Tuo imprimis conſilio, inibat, ſub id maxime tempus, qvo Senatores Regni, et Proceres praeſidium labentis

tis patriae ſuae circumſpiciebant et Agamemnoni Saxonico, non ſine coeleſti auſpicio, primas tribuebant. Cuius Te, in conſiliis pro Regni dignitate ſuſcipiendis, adiutorem haud ſecus, atqve veteres Graeci Neſtorem, intuebantur, diligentiam collaudabant, et vim animi, atqve agendi ſolertiam, qva omnium oculos in Te converteres, mirifice praedicabant, ceteri ſilentes ad-

mirabantur. Tantus ab coelo vigor eſt, ſangvine maiorum in Te derivatus, ut excitaret ardorem ad gloriam, qvae non fortunae, ſed virtutis praemium eſſet, lumenqve accenderet poſteris, et omni temporum ſtatu explicaret fulgorem. Non fugiebat id Regem AVGVSTVM II. qvi inter tot Purpuratos Te unum reperit, et Neſtoris inſtar, a latere ſemper ſuo eſſe voluit, cui res et con-

consilia crederet, Philippum Macedoniae Regem, aut, si propiora specto, Octavium Augustum imitatus, qvorum alter Parmenionem, alter Maecenatem sibi ascivit, et consiliis adhibuit; uterqve hac ratione feliciter imperavit. Vidit Polonia omnis, et approbavit labores, vigilias, solicitudines tuas, qvarum fama in Galliam et Italiam pervasit: neutra enim dissimulavit dexterita-

teritatem, qvae pasſim in negotiis eluxit, et in illa praecipue aula viguit ac perſpecta eſt, qva nullum auguſtius prudentiae theatrum Europa habet. Vbi principes Te amico et ſocio delectati ſunt, et ſua Tecum conſilia communicarunt, atqve in Tua legatione maxime ardua omnes animi curas depoſuerunt, et rationes Tecum ad ſalutem patriae ac tranqvillitatem publicam retu-

retulerunt. Auguſtus ipſe, tam pius, qvam iuſtus Imperator Leopoldus, hac voluntatum conſiliorumqve ſimilitudine laetus, nulla re Tibi defuit, et Tua in Saxonem Martium officia collaudavit, ſummamqve in Te benevolentiam haud obſcure teſtatus eſt, et rebus proſpere confectis, explicatisqve illorum temporum difficultatibus, palam confirmavit. Magna haec ſunt, DOMINE,

MINE, et Reges qvoqve externos ad Te amandum alliciunt, qvi Regum cauſa Te natum eſſe, recte exiſtimant, ut ſumma eorum negotia conficias, feliciterqve componas, atqve in hac curarum parte, omnibus, qvantum conſilio et prudentia valeas, domi forisqve, in pacis et belli rebus, admirabili et ſingulari dexteritate oſtendas. Taceo Britannos, qvi capacisſimam

mam indolem Tuam cognorunt, et mirati ſunt, cum ſuperioribus annis beatam peragrares Inſulam, maximosqve proceres conſvetudine vitae, et elegantia devincires Tibi et conciliares. Omitto Gallos et Belgas, utrosqve ſvavitate moris, et dulcedine ſermonum Tuorum captos, ac toties congreſſu colloqvioqve Tuo delinitos, qvotiescunqve de maximis, et remotis a vulgi iudicio

cio rebus, loqventem audiebant. Tanta ſunt, qvae ab natura accepiſti adiumenta ſummae perfectaeqve virtutis, qvam uſu rerum in vitae luce, et aulae conſpectu, atqve in Principum oculis teſtatam feciſti, et indies confirmaſti novis exemplis, qvae in omnium ſeculorum memoria vigebunt. Non haec neſciebant Dani et Cimbri, qvorum Rex in ſocietatem eius Ordinis Te nuper aſcripſit, qvo nullus

nullus ibi aut veteri instituto sanctior, aut insignium dignitate potior facile existimatur. Tum Gothi Sveonesqve magnum atqve excelsum in negotiis animum aestimant, et qvod pacis causa posuisti officium, vehementer probant, maxime qvod id spectat ad praepotentes & vicinos necessariosqve Reges, in concordiam pristinumqve fœdus redigendos. Laeta haec initia laetiorem

nobis exitum promittunt, et nomen tuum ſerae poſteritati commendant, qvod cum pacis ſtudia, tum literarum praecipue ornamenta, Te ſtatorem habent et vindicem, ac Tuopte imprimis praeſidio fulciuntur. Nam domus Tua clientibus perfugium, et honeſtis artibus ſtudiisqve commune domicilium praebet, ut nemo ex literatorum numero ſit, qvin ad opem tutelamqve Tuam con-

confugiat, et ſalutem adeò fortunasqve ſuas tanto Maecenati, et literarum dignitatis Amplificatori acceptas referri, ultro fateatur. Spatium ſcribendi me deficeret, ſi Tua in rempublicam promerita, non dico exornare, ſed enumerare tantum in praeſens vellem. Atenimvero tot rebus factisqve Tuis digne praedicandis longe imparem me eſſe ſentio, nec modo non brevi epiſtola, ſed ne iu-

ſto qvidem volumine cumulatas, et prope infinitas laudes Tuas, comprehendi poſſe intelligo, ob eamqve cauſam in pietate, qvae demiſſo Clienti convenit, deſino, et in admiratione Illuſtriſſimi Nominis Tui, qvod nemo, in hac ſtudiorum umbra, aſſeqvitur, religioſe acqviesco, nullus dubitans, qvin aptiores deinde et digniores laudum Tuarum praecones habeas, qvi certatim exſurgant, et

et laudes Tuas ſumma induſtriae contentione poſteris tradant, et ſempiterna memoria proſeqvantur. Sed ut in eam, unde deflexi, viam pace Tua redeam, ILLVSTRISSIME DOMINE, primum audaciae et temeritatis poenam deprecor, deinde ſupplex obſecro, ut aeqvo animo hunc, qvantumvis exiguum, laborem excipias, et indulgentem ac propitium opuſculo, qvod ſubmiſſe offero,

existimatorem et iudicem Te praebeas, conatusqve meos gratia et facilitate Tua provehas, meqve in numerum Clientium obsequentissimorum recipi patiare. Ego enim qvi nemini horum officio et pietate concedo, maximis, qvibus possum a Deo immortali contendam votis precibusqve, ut ILLVSTRISSIMAM TVAM EXCELLENTIAM cum ILLVSTRISSIMO PA-

PATRE HERMANNO, Saxoniae in conſilio ſanctiori Senatore ſplendidiſſimo, et ſummi Senatus ſacri Praeſide Eminentiſſimo, omnes meas laudes, qvas Togato Heroi debeo, infinitis partibus ſupergreſſo, qvam diutiſſime ſalvam florentemqve praeſtet, et res conſiliaqve fortunet, ut lumen gentis tuae ſemper nobis ac univerſae poſteritati luceat, ſplendoremqve omni temporum

ſtatu ſervet, latiusqve ſe diffundat, et nullo caſu minuatur, nulla tempeſtate laedatur, nulla deniqve ſeculorum caligine obruatur. Stet usqveqvaqve firma, et eodem veſtigio conſiſtat ILLVSTRISSIMA GENS BEVCHLINGIA, et altisſimis radicibus defixa, in foecundo et fertili ſolo floreat, qvo ſemina gentilitiae virtutis magno cum poſteritatis foenore ex eo proveniant,

ant, et cultu ac calore excitata ſe proferant magis, et creſcant in poſteris, ac ſimiles ſemper, et vivas vigentesqve, inprimis patriae frugiferas ac fructuoſas, ſummoqve genere, et illuſtriſſima gente dignas propagines alant, easqve perpetua et continuata foecunditatis ſerie emittant, atqve adeo cum plena gloriae maturitate, et locupletiſſimo fructu, in Reipublicae lucem exponant,

nunqvam, ut ſpero, Germaniae, qvam virtute ſuſtineant, nunqvam Saxoniae, qvam meritis exornent, nunqvam literarum honori, qvem dignis tribuant, defuturas. Hoc meorum caput eſt votorum, haec ſumma deſideriorum omnium, haec ratio et regula ſanctiſſimarum obſecrationum mearum, qvae eo valent, et unice diriguntur, ut longiſſimum vitae ſpatium addatur prioribus annis tuis,

tuis, et par, neqve interrupta felicitas maximis respondeat virtutibus, qvibus Reges et summos Europae Principes, rerumqve arbitros proximis Tibi annis devinxisti, et spem atqve expectationem Patriae secundissimo rerum cursu vicisti, et qvod rarum, ac miraculo proximum est, communem qvoqve hominum conditionem transiisti. Qva propter omnes effuse exultant, votisqve certant,

tant, et ut propria ac perpetua haec ſit Tua felicitas, et vita pariter diuturna ac ſtabilis, omnes boni volunt, cordati optant, ſinceri clientes Deum orant, et perſancte mecum obteſtantur.

ILLVSTRISSIMAE EXCELLENTIAE TVAE.

Obſeqventiſſimus devotiſſimusqve

Apud Saxones Vitembergae pridie Nonarum Ianuar. A.cIↃ IↃↃcI.

H.L. SCHVRZFLEISCHIVS.

PRAEFATIO.

BEnevole Lector, primum hoc eſt induſtriae meae ſpecimen, exiguum fateor, nec tamen a meis ſtudiis, neqve ab his temporibus plane alienum. Eo minus vero ſpernendum, qvod res noſtrae gentis propius tangit, nec parvas hiſtoriae Germanicae reliqvias conſervat. Qvae ſcribendi ratio etſi multa doctrinae praeſidia et lectionis ornamenta reqvirit, tamen in labore et induſtria mea nihil deſiderari paſſus ſum, ut ad rationes huius argumenti recte conſtituendas, aliqvid pro viribus conferrem, atqve illam hiſtoriae partem a plerisqve intermiſſam ex longo temporum intervallo revocarem. Qvo inſtituto idoneos, et rerum peritos, eosqve domeſticos ſcriptores conſectatus ſum, et plerosqve licet minus elegantes, tamen fide et auctoritate praeditos ſummo ſemper ſtudio expreſſi, et iis qvibus ingreſſi ſunt veſtigiis perſeqvi conatus ſum, qvamvis ad idem doctrinae faſtigium non pervenirem. Abs Tua vero aeqvitate, lector, ingenue expecto, conatum in meliorem partem accipias, et ſtudium adiuvandae doctrinae ſaltem probes; qvod ſi abs Te impetravero, magnopere enitar, ut alia poſt alia varii argumenti opuſcula in manus tuas veniant, et induſtriam qvalemcunqve teſtentur.

SERIES

SERIES MAGISTRORVM, QVI ORDINIS EQVESTRIS ENSIFERORVM IN LIVONIA PRINCIPES EXTITERVNT.

I	*Vinno.*
II	*Volqvinus.*
III	*Hermannus Balck.*
IV	*Henricus ab Heimburg.*
V	*Theodoricus a Gruneck.*
VI	*Andreas de Stuckland.*
VII	*Eberhardus de Sein.*
VIII	*Ioannes de Sangerhausen.*
IX	*Burckardus de Hornhusen.*
X	*Georgius ab Eichstett.*
XI	*Wernerus a Breithausen.*
XII	*Conradus a Manderen.*

XIII

XIII	Otto de Rodenſtein.
XIV	Andreas de Weſtphalen.
XV	VValterus de Nordeck.
XVI	Erneſtus de Rosburg.
XVII	Conradus de Feuchtvvangen.
XVIII	Wilhelmus de Schurburg.
XIX	Conradus de Herzogenſtein.
XX	Boltho de Hogenbach.
XXI	Henricus de Dumpeshagen.
XXII	Bruno.
XXIII	Gottfridus de Rogga.
XXIV	Conradus de Iocke.
XXV	Eberhardus de Monheim.
XXVI	Burchardus a Dreileve.
XXVII	Gosvvinus de Ercke.
XXVIII	Arnoldus de Fietinghof.
XXIX	Wilhelmus de Frimerſen.
XXX	Iobus ab Vlſen.
XXXI	Woldemarus de Bruggeney.
XXXII	Conradus de Fietinghoff.
XXXIII	Theodoricus Turck.
XXXIV	Sibertus Lander.
XXXV	Ziſo de Rautenburg.

XXXVI	Franco de Kersdorff.
XXXVII	Henricus de Buckenode.
XXXVIII	Heidenricus Fincke de Auerberg.
XXXIX	Ioannes Osthoff de Mengeden.
XL	Ioannes de Waldhausen.
XIL	Bernhardus de Borg.
XLII	Ioannes Freitag de Loringhaven.
XLIII	Walterus de Plettenberg.
XLIV	Hermannus de Bruggeney.
XLV	Ioannes de Recke.
XLVI	Henricus a Galen.
XLVII	Wilhelmus de Furstenberg.
XLVIII	Gothardus Kettler.



I.

1204. VINNO primus in Livonia Ordinis Magiſter, genere et virtute praeſtans, conſilioqve et manu promptus, regnante Philippo Svevo, cum Romae ſacris praeeſſet Innocentius III. principatum ſacrae militiae auſpicatus eſt, et connitente Alberto Rigenſium praeſule, Livonos ad manſvetudinem inſtituit, ac religionis Chriſtianae diſciplina mitigavit. Fortis in bello, atqve in magiſtratu ordinis prudens, omnem praecipue curam in regionis cultum intendit, et antiqvato ritu barbaro, moribus Teutonicis ſenſim aſſvevecit. Crudelitatem odit, nec tamen nimia lenitate imperium ſolvit, ſed pro con-

ditione temporum, et pro ſalute populi, interdum remedia ſeveritatis uſurpavit, eaqve re effecit, ut nemo eſſet, qvi ſtatum publicum perturbaret. Arces pleraeqve ab eo aedificatae ſunt, Segevalda, Aſcheroda, et Venda, Magiſtri ſede nobilis, qvibus praeſidio firmatis, compoſitisqve ſodalium rebus, ſe obiecit hoſtibus, et Ruſſos, caeſo eorum principe, profligavit, praelioqve ſecundo confirmatus, illis caſtrum eripuit, qvod Kokenhuſam appellant. Eam, praeter arces, ſuo labore ſumptuqve extructas, diligenter defendit, et ſumma ratione tutatus eſt, ut qvam ad ultimos belli caſus ſervari oporteret. Interdum ceſſit hoſti, et numero impar, conſulto ſe recepit, nec majore impetu, qvam arte belli pugnavit, ratus, ancipiti fortuna de ſalute potius ſua, qvam de clade aliena cogitandum eſſe. Aliqvanto poſt Voldemarus II. Daniae rex cum claſſe in Livoniam profectus eſt, et excitis undiqve hoſtibus,

bus, periculum adiit, non de fama tantum, ſed de vita et ſalute ſua dimicaturus. Monimentum Danici nominis etiamnum ſupereſt, ubi in armis ſtetit, et dubium ac difficile praelium commiſit. Nec minores timendi cauſas habuit Vinno, cum animadverteret, hoſtes univerſos, inſtructa acie, pugnaturos. In his erant Lettii, Eſthones, Lithuani et Ruſſi, inſito adverſus peregrinos odio incenſi, audacia et armorum apparatu terribiles, qvos Rex, collatis ſignis, diſſipavit tandem, et ſucceſſu laetus, in Curonia ſedem domiciliumqve conſtituit. Antiſtiti Piltenſi. At Vinno, auctis Voldemari opibus, ſuas imminui videbat, novamqve rerum commutationem ſubveritus, Alberti Rigenſium praeſulis conſilio utebatur, ex eoqve utilitatem capiebat, et negotia ſodalitatis feliciter adminiſtrabat. Sed pactione cum Rege facta Antiſtes comprehendi noluit, & cauſam fortunamqve ſuam a Magiſtro ſeiunxit, novas a-

gendi rationes ab Honorio III. Pontifice expectans. Ita crevit illius auctoritas, Regisqve benevolentia ei profuit, ut suam atqve ordinis potentiam sub imperii Germanici auspiciis firmaret. Haud secus Regi studuit, et bellum Oeselianum gerenti, subsidio venit, neqve Antistes tunc ei defuit, non ignorans, qvanta ex superiori dissensione incommoda accepisset. Rex submissi auxilii memor, multis utrumqve rebus ornavit, et qvae subtraxerat, restituit, reliqva ex pacto sibi reliqvit. Dum haec agit Vinno, et bene sapienterqve munere fungitur, octavo decimo principatus anno insidiis Vigeberti, Vendensis praefecti, circumventus, et indigne occisus est, princeps pacis belliqve artibus egregius, nec magis rebus prosperis, qvam adversis constans. De improbo homine, qvem ob rem male administratam dignitate mulctaverat, paulo post supplicium est sumptum.

II.

1223. VOLQVINVS, extincto in ſummo hujus militiae magiſtratu Vinnone, Ordinis magiſter deſignatus, ſuperiorem rei militaris gloriam non deminuit, ſed auxit. Cuius inſtituti eum non poenituit, qvoniam et conſilio valebat, et viribus ad ferendum belli laborem firmis erat. Nec felicitas eum in magnis coeptis deſtituit, propterea qvod fortibus factis ne priore qvidem inferior, nullam rei bene gerendae occaſionem neglexit. Primum vero ac potisſimum duxit, moliri novam arcem, et diligenter munire, cum propter arcendas hoſtium iniurias, tum maxime ob fortunas patriae in tuto collocandas. Itaqve auctor fuit condendae arcis, qvæ Fellinum nominatur. Haec in Eſthonum finibus aedificari coepta, iamqve ſitu loci et operibus firma, Eſthoniae qvoqve imperium ordini deſpondebat. Praeſertim cum in ora

ſinus Finnici locum rebus tuendis idoneum circumſpiceret, et Revaliam, illius regionis clauſtrum occuparet, arcemqve a Voldemaro Rege urbi impoſitam accuratius muniret. Ab hoc initio magna potentiae moles ducta eſt, proſtratis vicinorum viribus, aut metu compreſſis. Lithuani terrore iniecto, nihil auſi, ad tempus qvieverunt. Ruſſi, nominatim hi, qvos Moſchos vocant, ferociores, armis repreſſi, et Torpato impetu capto, praeſidiarii ad unum omnes caeſi. Semgalli, qvi ad meridiem vergunt, ſubacti, Eſthones coerciti, et denuo vectigales facti, pacis conſilia inierunt. Illi etiam, qvi cladis Torpatenſis nuncio perterriti, ſilvis ſe occultarunt, egreſſi, ad domos villasqve ſtruendas convenerunt. Multi eorum ſublevati, ac tributi onere liberati ſunt, qvi benigne et hoſpitaliter Germanos acceperunt. Dani aemulatione potentiae, Volqvino pariter atqve Alberto infeſti inviſiqve, Revalia urbe intercepta,

cepta, et bello in longinqva natione difficulter geſto, tota deinde Eſthonia exceſſerunt. At Volqvinus variantis fortunae memor, animo providebat, ſodalitatem per ſe tot bellis vix ſuffecturam. Capto igitur et communicato cum ſuis conſilio ſtatuit, conciliare ſibi Teutonicos in Prusſia Eqvites, eosqve ita devincire Ordini, in Livonia nuper conſtituto, ut coniuncti inter ſe atqve conſociati, pugnarent contra barbaros, et rem Chriſtianam amplificarent. Qvae res poſtero tempore confecta eſt, caeſo a Lithuanis Volqvino, cum fortius, qvam cautius dimicaſſet.

III.

1238. HERMANNVS cognomine BALCKO, Ordinis Livonici, qvi antiqvato priore inſigni, cum ordine Teutonicorum in Prusſia coaluit, Magiſter deſignatus, et conſeqvente anno inauguratus eſt, qvod, ſeptem

annis poſt inaugurationem Prusſicam ei contigit, ut afflictis Livoniae rebus ſubveniret. Is praefectura ſodalitatis Mariani ſe abdicavit, et comprobata utriusqve ordinis coniunctione, qvæ auſpicio Friderici II. et aſſenſu Gregorii IX. facta eſt, in Livoniam concesſit, et ſpe auxilii confirmatus, futuri temporis laetius omen captavit. Verum de Revaliae urbis, et tractuum eo pertinentium Harriae, Viriae, et Alletakae poſſeſſione aegre decesſit, et acerbitatem, ut rebatur, Gregorianae ſententiae, miſſa legatione deprecatus eſt, nihil tamen profecit, qvacunqve etiam ratione cauſam tueretur. Hoc rerum ſtatu, qvum refragari non auderet, eum ſuperioris, de qva dixi, coniunctionis ſuppoenitere coepit, praeſertim cum Magiſter ordinis Teutonici generalis, Hermannus Salzius parendi neceſſitatem imponeret, nec rationibus ad diſſentiendum allatis moveri poſſet. Voldemarus Danorum

Rex,

Rex, cuius adverſae res ſuperiores fuerant, dato poſtulatis loco acqvieſcebat, et aeqvitate rei permotus, Ieruenſem Livoniae tractum Balkoni et ſodalibus, eius ſopiendae litis et moleſtiae cauſa, aſſignabat. Confecto hoc negotio, duxit in barbaros, et repreſſit Ruſſos, Livoniam depopulantes, cum qvibus praelio decertavit, et clade ad Iſeburgum illata, ademit ſpem recipiendi Torpati. Hac deinde victoria uſus, cum Hermanno Torpatenſi antiſtite obſedit Plescoviam, permunitam urbem, ſed vi impetuqve abſtinuit, cum Ruſſi ultima experiri nollent. Idcirco deditione facta, et deducto praeſidio, Hermannus Magiſter in Livoniam rediit, relicto belli perito milite, qvi urbem arcemqve cuſtodiret. Poſtea Magiſter provincialis deceſſit, qvam ſex annis dignitati praefuit, et *proviſoris* titulo, a Magiſtro generali ſe diſtinxit.

IV.

1245. HENRICVS, amplisſima Heimburgiorum familia natus, praefecturam ordinis, auctoritate Conradi generalis in Prusſia Magiſtri, adminiſtrandam ſuſcepit, et munere eo, qvoad per valetudinem potuit, functus eſt, opera fideli, et perpetua erga Ordinem voluntate. In maxima rerum Germanicarum perturbatione prudenter ſe geſſit, ac plus conſilio, qvam armis effecit, et curam adhibuit, ne repentina vi hoſtium opprimeretur. Atenim infirma fuit valetudine, et ideo viribus morbo fractis, deſiderium qvietis eum tenuit, cuius ut compos fieret, magiſtratu ſacrae militiae, cui ſponte ſe addixerat, coactus infirmitate corporis, ſe abdicavit, nec amplius biennio hanc dignitatem geſſit.

V.

1247. THEODORICVS GRONINGENSIS tertius Teutonicae ſodalitatis in Livonia provincialis Magiſter, ab eodem Conrado, Turingiae et Heſſiae principe, conſtitutus, fortitudine et rerum fama nomen illuſtravit. Cum delecta manu eqveſtris ordinis, et copiis celeriter contractis, profectus eſt in Curonos, et multis eorum, commiſſo praelio, deletis, audaciam compreſſit. Re proſpere geſta, in extruenda aliqvot munimenta ſumptus fecit, impoſito Goldingae atqve Ampotae praeſidio, qvod barbaris terrori eſſet. Curoni, inqvieto ingenio, et nominis Chriſtiani hoſtes, non diu a rebus novis ſe continuerunt, et tributorum pertaeſi, ad Lithuanos defecerunt. Horum Princeps Mendogus auxilium promiſit, nec ſegniter eduxit exercitum, et Ampotam magna cum pertinacia circumſedit. Theodoricus cognito per nun-

nuncios periculo, ex vicino nemore, per occultos exitus ad liberandum hoc munimentum contendit, atqve ex insidiis adortus Lithuanos, subito impetu perterritos repulit: plurimi hostium caesi sunt, reliqvi fuga se eripuerunt. Hoc labore defunctus, cohortibus praesidio relictis, et rebus finium causa constitutis, non rempublicam deseruit, sed legatione suscepta, ab Ordine discesit, et Romam dimissus, mandata sua Pontifici exposuit, eiqve, ob raras animi virtutes, praecipue carus fuit.

VI.

1250. ANDREAS STVCKLANDIVS, praeter militaria studia, togae artes excoluit, et res inter se diversas usu coniunxit. Nam in Republica et bello diligenter versatus est, et acerrimus Ordinis extitit propugnator. Hac fortitudine res inclinatas sustinuit, et Lithuanis, Samogetis atqve Semgallis Livoniam invadentibus occurrit, co-

piis-

piisqve instructis, ad pugnam se parat. Omnes tunc suspensis metu animis, rei tam formidolosae expectabant eventum: si enim vinceret, cum libertate, parari gloriam intelligebant: Sin vinceretur, ipsum, et milites universos hostibus trucidandos relinqvi. At primus se discrimini obtulit, admonitis ante, et exemplo suo confirmatis cohortium ductoribus, ut se periculorum socio, impigre pugnarent. Igitur acie congressi, signa inferunt, et omnibus viribus connixi, hostes diu acriterqve resistentes, plurimis suorum desideratis, in fugam vertunt. Hac strage perculsi, occasione vastandæ eius terrae amissa, ipsi regiones suas praedis caedibusqve exposuerunt. Inde expeditio in Samogitiam suscepta, et fortunis hostium direptis, parta est ingens praeda, cuius pars DEO consecrata, pars militibus dispertita: qvod reliqvum fuit, servari voluit, ut miseris atqve egentibus daret. Non multo post Semgalliam ingres-

greſſus, et ſecunda pariter fortuna uſus, regionis agros populatus, victis pecuniam imperavit. Qva ex tributis redacta, exercitum reduxit, et magnis omnium laudibus exceptus, atrocis interneciniqve belli fecit finem. Fama eius et felicitate perterritus Mendogus, Lithuaniae Regulus, amicitiam ei obtulit, et ad congreſſum invitato, lauteqve accepto, voluntatem aperuit erga rem Chriſtianam. Placuit conſilium, et renunciandae huius rei cauſa legatos miſit ad Innocentium, huius nominis IIII. Qvo interea mortuo Honorius IIII. poteſtatem agendi, ut res ferret, concesſit, et conditionem de principe illius ſolenni ritu inaugurando approbavit. Cum haec pro ſalute Livoniae, et pro honore divini nominis gesſiſſet, de ſtatione ſua decesſit, atqve in Germaniam bello civili fluctuantem rediit, poſtqvam ſex annos in praefectura Ordinis adminiſtranda conſumpſit.

VII.

VII.

1256. EBERHARDVS SEINENSIS, aeqvus domi, foris pugnax, et rei militaris peritia clarus, atqve in magnis difficultatibus constans, subsidium a virtute petiit, et firmo semper ac forti animo fuit. Statim atqve in Livoniam venit, feroces Samogitas perdomandos ratus, contraxit copias, et populum ad bella praedasqve pronum, ita armis fregit, ut iam se ipse tueri non posset. Rebus ad hunc statum redactis, pervastavit provinciam, et hostium confecit vires, succesſuqve hoc laetus, domum retulit praedam. Attritis horum viribus, Curonos invasit, et incursionibus fatigavit. Qvae res ad dignitatem Ordinis, et ad incrementa Rigae pertinebat, qvando sedem provincialis Magistri nuper constitutam manubiis locupletavit. Curoni fortunis eversi, neqve in aciem prodire ausi, temporis miserrimi, qvod mortem, aut servitutem ferret, imaginem

an-

ante oculos habuerunt. Praefecturam duobus annis tenuit, et benevolum sibi Ordinem retinuit, sed valetudine affecta, in Germaniam, qvantumvis adhuc disidentem, revertit, dignus, qvi remaneret diutius, et longius Reipublicae servaretur.

VIII.

1258. ANNO SANGERHVSANVS, susceptam ordinis dignitatem nihilo segnius administravit, et robore corporis firmior, nullos labores recusavit, qvos providit sodalitati fore utiles, et augendae rei Christianae opportunos. Bellum gesit magnis viribus, sed dispari fortuna, cuius initia qvidem prospera, et cursus rerum haud deterior, sed exitus non perinde felix est consecutus. Samogitas depressit, et cum qviescere nollent, bello persecutus est, ut emendaret perfidiam gentis, et ulcisceretur crudelitatem. Nam barbari latrociniis vexabant fines, nec, nisi armis

mis cogebantur, a propoſito vaſtandi deſiſtebant. His repulſis, tendit adverſus Curonos, multa auſos paſſosqve propter libertatem. Proinde comparatis de integro belli ſubſidiis, et refectis ex clade viribus, aſcitis qvoqve in ſocietatem Semgallis, excitis deniqve Lithuanis, rurſus fortunam armorum experiri cupiebat. Qvos repreſſit fortiter et ſubmovit, ſed multa bene inchoata perficere non potuit, et Poppone Oſterna extincto, dignus omnium ſuffragio iudicatus eſt, qvi ſummum generalis Magiſtri locum in Prusſia obtineret.

IX.

1261. BVRCHARDVS HORNHVSIVS regendi Ordinis curam ſuſcepit, et, variante fortuna, intulit atqve accepit clades. Belli ab eo ſub id tempus geſti cauſa ab Samogitis et Lithuanis orta eſt, qvorum repentina et improviſa vi oppreſſus fuiſſet, niſi longo et laborioſo

certamine ex insidiis et periculo se eripuisset. Nam dimicavit acriter, et multis suorum in conflictu desideratis, aegre evasit, et saucius Memelam se recepit. Inde, curato vulnere, Rigam reversus, omnes copias, ad oppugnandum Samogitas, convenire iussit, qvae cum paratae instructaeqve essent, et praelii committendi opportunitatem expectarent, mox induciae in duos annos factae sunt, maiore hostium commodo, qvam Ordinis, qvia spatium colligendi vires Samogitis datum. In hanc sententiam adductus est auctoritate Alberti, Rigensium praesulis, cui Ronnenburgum aedificanti, pacis consilia placebant. Postea vero qvam tempus induciarum abiit, fortitudo eius denuo multis in rebus conspecta est, sed magnos conatus fortuna destituit, qvamvis impigre omnes ducis partes obiret. Nam a Lithuanis et Samogitis, qvos invasit, magna cum suorum strage repulsus, vires qvidem,

missо

missō ex Germania supplemento, refecit, sed recusantibus certamen hostibus, in Semgalliam milites immisit, agroqve eius regionis vastato, apud Durbinum in praelio superatus est, tristi ad recordationem exemplo, qvod moneat, audaciam sine consilio esse irritam, et pugnandi ardorem, nisi rebus omnibus recte provisis, plerumqve bellantibus calamitosum.

X.

1264. GEORGIVS EICHSTADIENSIS non ex eorum numero fuit, qvi plus in hostium ignavia, qvam in sua virtute ponunt. Nam propter scientiam rei militaris, ad capessendum ordinis magistratum evocatus est, et nullum, qvamvis ingens, discrimen recusavit. Sed sive ardore animi, sive ulciscendae Burghardi caedis cupiditate impulsus, arma cepit, et adversus Lithuanos ac Samogitas profectus est, acieqve instructa, cum utrisqve,

nihilo tamen meliore ſucceſſu, conflixit. Etenim copiae eius numero cum hoſtibus non erant conferendae, et plurimis veteranorum amiſſis, omnino ſupplementis egebant. Proinde Magiſter non magis ad praelium, qvam ad certam perniciem et ciadem properavit, conſertaqve manu, victus profugit, nec multo poſt, cum Mendogo Lithuanorum Rege pacem fecit, conſilio pro rei neceſſitate opportuno. Sub id tempus qvidem Rederius novas ex Germania cohortes adduxit, ſed praecipua earum pars caeſa eſt a Pruſſis Natangenſibus, qva ſtrage edita, Magiſter ſodalitatis in ſummas eſt anguſtias adductus. Hoc imprudentiae, et inconſultae temeritatis documento, ſodalitas prope omnibus fortunis everſa fuit. Oeſeliani enim, rebus Magiſtri adverſis, ad defectionem ſe cohortati, novum Ordini bellum conflarunt. Qvare ad hos ſubigendos arma ſumpſit, et ſecunda fortuna apud

Car-

Carmelum pugnavit, seditiosqve tandem fregit, et instaurato religionis Christianae cultu, pristino eos iure sibi devinxit, ac ipse tandem reipublicae se subtraxit, laborumqve pertaesus, sponte munere suo cesit.

XI.

1267. VERNERVS BREITHVSIVS in Georgii locum suffectus est, aetate qvidem ingravescente, sed animo satis cauto, ad subitos tamen casus minus parato. Vires alioqvin et opes suas reipublicae impendit, qvod munus decebat senem, qvi animum Deo, corpus sacro Ordini devoverat, adeo, ut nullam curae laborisqve partem sibi adimeret, et damni inprimis vitandi rationem iniret. Illis praesertim temporibus, qvibus Lithuanorum iste, de qvo dixi, regulus Christi sacra deseruit, et Samogitas Russosqve, renovato foedere, sibi adiunxit, haud dubie, qvod suspicione ductus putasset,

pacem antea magno ſodalitatis incommodo factam, non diu firmam ſtabilemqve fore. Qvae res ſic evenit. Mendogus Livonico nomini infeſtus, et Chriſtianorum perinde hoſtis, communium armorum ſocietate fretus, Livoniam occupare ſtatuit, qvod ne fieret, in caſu, et cunctatione Ruſſorum erat poſitum, qvi ſerius, qvam inter utrosqve convenerat, adventarunt. Mendogus cum ſine auxilio rem per ſe tantam efficere non poſſet, invitus, ſed prius omnia hoſtiliter populatus, retrocesſit. Ruſſi ne nihil agerent, in Torpatenſem agrum effuſi, urbem eius nominis oppugnarunt, atqve igni iniecto vaſtarunt. Magiſter periculi cogitatione excitatus, ad opem obſeſſis ferendam accurrit, et Ruſſos ab urbis obſidione reiectos inſeqvitur, Ruſſiamqve tumultu complet, in omnem ulciſcendi occaſionem intentus. Dum haec agit, Samogitae fines incurſant, et Vikiae tractum populantur. Hos Livoni

voni confeſtim adorti, interceptis in reditu ſpoliis, gravi clade afficiunt, qvorum Princeps dilapſus, cum paucis ſuorum ad Mendogum venit, et ſuam ipſe temeritatem doluit, qvam Livonicus miles, exercitu hoſtili passim intercluſo, armis caſtigavit. Eodem tempore Magiſter in morbum incidit, qvo invaleſcente, in Livoniam ſe retulit, ut adhibitis in conſilium medicis, valetudinem curaret. Vbi convaluit, metu hoſtium ſolutus, impreſſionem fecit in Curoniam, et ſaeva illam populatione afflixit, et dirutis aliqvot caſtellis, ferro atqve igni pervaſtavit. Hoc bello defunctus, Magiſter natu grandis, vitam ducere moleſtiis vacuam inſtituit, et poſt alterum praefecturae annum, dignitati ſuae nuncium remiſit, atqve in Germaniam, tranqvillitatis fruendae cauſa, revertit.

XII.

1269. CONRADVS MANDERNENSIS ſenili aetate, et ſagaci conſilio praeditus, illatas Ordini clades ulciſci inſtituit, ferocesqve populos bello fatigare tantisper, dum imperata facerent, et legibus obedirent. At varia fortuna uſus eſt, et duo praelia commiſit, in qvorum altero, plurimis ſuorum amiſſis, fugienti ſimilis ex acie excesſit, in altero non extra periculum fuit, Semgallos tamen a Livoniae incurſatione cohibuit, neqve Samogitarum et Ruſſorum iniurias neglexit. Nec vero aedificandi curam abiecit, et in Eſthonia Virtenſteinium, in Curonia Mitaviam, ſuo atqve ordinis ſumptu, curavit extruendam. Eo praefecturam Ordinis adminiſtrante, Mendogus foedo morris genere periit, et cum qvieti ſe traderet, ſomnumqve caperet, a fratris filio occiſus eſt, cuius vitae, morisqve et crudelitatis poſteri vix ſine horrore qveunt recordari.

cordari. Magiſter cum per aetatem, perqve valetudinem muneri gerendo non ſufficeret, ſtationem tamen ſuam non deſeruit, ſed virium langvore impeditus reliqvit, et privatam qvietamqve vivendi rationem delegit.

XIII.

1272. OTTO RODENSTEINIVS ſumma omnium conſenſione in Conradi, magiſtratu ſe abdicantis, locum ſubrogatus eſt: qvi redintegravit bellum cum Ruſis, neqve imparatus ad pugnam accesſit, ſed cum dies, qvo manum cum hoſte contulit, adveniret, vires Ruſſorum opinione maiores animadvertit, et victoriam, qvam praeceperat animo, difficilem et cruentam expertus, noluit ſimili eventu ſaepius vincere ſuos hoſtes. Qvinqve millia Ruſſorum caeſa, reliqvi, perditis rebus, in fugam ſe conieceruntur. Ad breve tempus fortuna

neutro inclinavit: deinde praevalida hoſtium agmina, et ſuperbi vultus terrorem Chriſtianis auxerunt, usqve dum pertinacia dimicandi vincerent, et Ruſſi foedum cladis ſpectaculum Livonis praeberent. Huic praelio interfuit Torpatenſis praeſul Alexander, et in medios hoſtes ſe miſit, fortiterqve pugnans, oppetiit mortem. Magiſter Otto iam ſine ſuo periculo, et certa pernicie hoſtium, profectus in Ruſſiam, arma late circumtulit, nec modus caedibus et ſpoliis fuit. Ereptum tunc Ruſſis Iſenburgum, et Plescovia acriter oppugnata, ſed interventu reguli Novogardiae, obſidio Vrbis ſoluta, et res compoſitione pacis paulo poſt transacta. Cum Ruſſi qvieſcerent, alibi ab armis non ceſſatum eſt, effuſis in Livoniam Lithuanis et Semgallis, qvi vario crudelitatis genere populum vexarunt, neqve abſtinuerunt a caedibus, et eodem tempore Oeſiliam diripuerunt. Ad reprimendam hanc irruptionem,

Otto

Otto curas et cunctas vires ſuas contulit, et in hanc ſententiam traduxit Sigefridum, qvi pro Rege Daniae Erico Revaliam, ac ſubiectos ei tractus regebat, et haud ſecus, atqve Ordinis Magiſter, communis periculi cogitatione ſe excitabat, ad eamqve ſocietatem ſe adiungebant duo Antiſtites, Lealenſis et Torpatenſis. Igitur educunt copias, et laeti atqve alacres occurrunt hoſti. Pugnatum eſt non procul Karkuſa, cum magna eſſet vis frigoris, et terra glacie conſtricta. Acerrime dimicarunt Germani, nec minori animorum ardore barbari depugnarunt. Germanorum fortuna, turbatis incaute ordinibus, tandem inclinata eſt: Otto in confertiſima militum ſuorum ſtrage, mortem occubuit: una interiit Epiſcopus Lealenſis, duo et qvadraginta huius militiae ſodales interfecti, et ſtipendiarii milites ac gregarii magno numero occiſi, documento futuri poſteris, non omnes ſimul provinciae vires

unius

unius pugnae discrimini offerendas.

XIV.

1274. ANDREAS VESTPHALVS in illo temporum motu, ac subita rerum conversione, Ordinis gubernacula suscepit, emendato belli statu, comparatisqve, ut fieri in tanta festinatione potuit, auxiliis, magnam sociis vicinisqve commovit expectationem. Omnes enim proxima clade consternati, circumspiciebant statim, qvem eligerent, ut sine mora cohortes supplerent, exercitusqve reliqvias servarent. Quod Andreas, delata militiae praefectura, qvam potuit diligentissime curavit, et ob recentia in Prussos merita, carus Ordini, ac dignitate conspectus, ad bellum persequendum se comparavit. Qvare cum omnia, armis expediendis necessaria, praestitisset, copias novo robore auctas in aciem eduxit, nec pugnae moram fecit.

cit. Lithuani nihilo ſegniores, et ſecundo ſucceſſu elatiores, ad arma conclamant: mox fluctuat acies, cum Lithuani magno impetu ſe inferentes, pleno gradu ad invadenda hoſtium caſtra tendunt. Magiſter, adempta reſiſtendi facultate, telis hoſtium petitus, et undiqve obrutus, cum viginti ſodalibus, caeſus, agrum hoſti depopulandum reliqvit, perturbato tot tamqvè funeſtis caſibus Ordine, cum et pecuniae conqvirendae, et militis legendi cura animos ſubiret.

XV.

1275. VALTHERVS NORDECCIVS, Livonia delectibus ſtipendiisqve exhauſta, et Andrea primo adminiſtrationis anno, praeter omnium ſpem ſublato, tutius ſtabiliusqve Ordinis imperium tenuit, et res prope perditas prudentia, ac mira agendi felicitate reſtituit, atqve his rebus ad ſummum famae et gloriae locum pervenit.

nit. Non ignarus, in bello ne minima qvidem esse negligenda, atqve ex parvis saepe initiis maximarum qvoqve vicissitudinum momenta pendere. Multa et magna, praesertim in bello, facinora ab eo edita sunt, Samogitae victi, et Semigalli clade affecti, itaqve domiti, ut servitutem paterentur. Partem eius regionis dimidiam sibi atqve Ordini reservavit, partem attribuit patribus, in sacrum Rigense collegium cooptatis. Qvatuor annos in fortuna publica exegit, nec modo dignitatem suam tutatus est, sed etiam multo ampliorem reddidit, qvam accepit. Postea refectis Livoniae viribus, et numero sodalium, qvos clades deminuerant, expleto, deposuit provinciam, ad qvam gerendam non magis suffragio creatus, qvam coelesti providentia datus ac delectus videbatur.

XVI.

1278. ERNESTVS RASBVRGIVS indole et induſtria fortunam ſibi fingere non potuit, atqve in ipſo ſtatim initio offendit vicinos, extructo a fundamentis Dunaeburgo. Qvod ſuſpiciones ac qverelas movit Lithuanis, et Samogetis, munitiones et opera, qvae facere inſtituerat, diruere cogitantibus, ut ſecuritati finium conſulerent, formidoloſamqve potentiae acceſſionem impedirent. Non aeqvum eos poſtulare, cenſebat Erneſtus, et qvia res ad arma ſpectabat, periculum verens, contrahebat copias, ſibi atqve Ordini, ſi ita ferret neceſſitas, ſubſidio futuras. Elertus, qvi pro Rege Danorum Revaliae curabat, auxilia promiſit, et vires non ſpernendas ad Erneſti expeditionem attulit, neqve id facere dubitavit, propoſito ante oculos periculo, qvod Lithuanos in ſuam Ordinisqve perniciem armari, cognovisſet. Itaqve firmatis domi rebus, praeverten-

vertendum ratus, arma expedit, et ſubmiſſis a Daniae praefecto auxiliis, cum apparatu bellico in Lithuaniam venit, rapinis et direptionibus agrum vaſtat, et redacta ex ſpoliis ingente pecunia, in Livoniam redit. Lithuani, acres et bellicoſi homines, abeuntem inſeqvuntur, et Livoniam ingreſſi, praedas agunt, ac fortunas incolarum diripiunt, atqve editis ſaevitiae exemplis, obvia qvaeqve ferro ac igni populantur. Hinc ſecundo rerum curſu Aſcherodam tendunt, atqve inſtructa acie, copiam pugnae faciunt, et acriter in hoſtes invecti, pertinaciter dimicant, continuatoqve impetu urgent, obterunt, et caedunt. Magiſter mori maluit, qvam hoſti cedere, unus et ſeptuaginta ordinis eqvites, qvos periculi ſocietas coniunxit, proſtrati ſunt, nec fiſti fuga potuit, territis ſiniſtro omine militibus, cum viderent vexillum ab hoſte captum, qvod Mariae, in cuius tutela erant, imaginem praeferebat. Elertas qvidem

dem ſummis viribus reſtitit, et certamen inſtaurare voluit, ſed in confertiſſimo hoſtium numero a ſuis deſtitutus, nec opinato ictu ſauciatus, ex eqvo, cui inſidebat, confixo delapſus, praeſentiſſimum necis periculum fuga evitavit.

XVII.

1279. CONRADVS FVCHTVANGIVS interfecto in pugna Erneſto, Rempublicam velut orbam, ſibi relictam ſuſcepit poſtqvam res hoſtium magnis auctae incrementis Ordini proxima clade affecto, novum terrorem iniecerunt. Sed moderatum magis, qvam bellicoſum Magiſtro ingenium contigit, qvod fortuna adiuvit, ut ſecunda fama Magiſtratum gereret, fervidaqve conſilia etiam verecunda qvadam gravitate temperaret. Semgallos habuit inimiciſſimos, qvi ab eo deſciverunt. Contra hos varia fortuna pugnavit, nunqvam tamen ab

iis oppreſſus eſt, qvod ſuis rebus metuens, diligenter vitaret inſidias, et Rigae Antiſtes communi erga barbaros odio adductus, in foedus piae expeditionis veniret. Barbari enim huic perinde, ac Magiſtro, tributum, qvod exigebat, ſolvere recuſabant. Sed calamitoſa illis fuit haec defectio, et conatus reſiſtendi irritus, qvamvis fortuna, ut fieri in bello ſolet, laetitiam ſaepe doloremqve miſceret. Hoc vario eventu permotus, nihil praepropere faciebat, ne feſtinatione corrumperet conſilium, nec facile, niſi exploratis hoſtium viribus, deſcenderet in certamen. Cognorat enim Semgallos et Samogitas, feroces et praedis aſſvetos, ac prope generi humano inſociabiles, renunciaſſe obſeqvium, neqve armis reduci potuiſſe, reliqvos terrarum ſpatio disiunctos, nihilo mitiores eſſe. Qvae cauſa fuit, cur tandem qvieti locum qvaereret, et Magiſtratu Ordinis abiret, magnam belli molem, et grave regendi

onus,

onus, rei Christianae causa, se sustinuisse palam et ingenue testatus, atqve ut ab eo se eximeret, cum pace sodalium in Prusiam reversus, ubi antea praefecturae Ordinis Teutonici provincialis curatio ad eum delata erat.

XVIII.

1281. VILHELMVS SCHVRBVRGIVS, qvi ab aliis Embsdorffius cognominatur, multo armorum usu paravit sibi laudem, et cum ingenti omnium assensu, Magistri provinciam obtinuit, qvem priores belli clades adeo non terruerunt, ut qvoqve metus demendi causa, exercitum cogeret, qvem suo imperio ductuqve barbaris obiiciebat, tanta qvidem fiducia, ut ad certam eos se victoriam ducere existimaret. Etenim, praeter belli apparatum, annona ex oppidis pagisqve convecta, et novum copiarum robur ad hanc expeditionem accesit, ut

non modo arcere, sed etiam invadere hostes posset. Qvare in Semgalliam movit, et Lithuanos, eorumqve foederatos totis viribus adortus est: pugna utrinqve atrox, et aliqvandiu anceps fuit: ad postremum submoti Eqvites, qvorum tres et triginta desiderati sunt: Princeps Ordinis multitudine hostium obrutus, non refugit mortem, ne eum fortunae suae poeniteret, si vivus in potestatem hostis veniisset. Ceteri dilapsi, qva potuerunt via, salutis causa domum diffugerunt. Castra praedae hostium relicta, qva ex re animi et vires barbarorum creverunt. Ita vero Magister in suam ipse perniciem se impulit, et in adverso casu, ac praelii discrimine, facile agnovit praecipitati consilii culpam. Per id tempus Peluſſa qvidam a Vitene gentis Duce, cuius propinqvus fuit, alienatus, terrore et tumultu Lithuaniam implevit, ascitis in consilii societatem duobus aulae primoribus, qvibus non deerat solertia nocendi.

cendi. Itaqve ex occulto comparant insidias, et Proceres Lithuanos, dum secure epulantur, circumventos occidunt, mox caede facta, in Prussiam se recipiunt, Ordinisqve patrocinio nituntur. Hinc Lithuani ad ulciscendum properant, et instructo exercitu, ex finibus suis egressi, in Prussiam Livoniamqve irrumpunt, agrum diripiunt, homines contrucidant, et nulli sexui, neqve aetati parcunt, pasimqve arma circumferunt, et deleto, ut supra dixi, Ordinis exercitu, Magistroqve eius interfecto, nihil reliqvi faciunt ad summam immanissimamqve crudelitatem.

XIX.

1287. CONRADVS HERZOGENSTEINIVS statim ad belli cogitationem se convertit, cuius felicitas cum in ipso rerum, qvas gesit, initio, tum in toto Magistratu conspecta est, et in bello praecipue, qvod summam eius dili-

gentiam reqvirebat. Nam ex prioribus, qvae clades auxerant, malis, qvaedam velut ſemina remanſerant, ad qvae ſopienda, ut multum fortuna valuit, ſic prudentia agendi opportunitatem ei oſtendit. Semgalli vires nacti, multitudine ſua Livonos terrebant, magnoqve agmine venientes, non detrectabant certamen, ſed animis parati, et Gvilelmi caede elati, ad dimicandum acrius movebantur. Magiſter, qvanto in periculo res eſſet, intelligebat, ancipitem belli aleam, et incertos praeliorum eventus ſecum reputabat, praeſertim cum de ſalute Ordinis, et de honore ſuo, qvem vita cariorem habuit, ageretur. Proinde ulciſcendae iniuriae cupidus intrudis armatisqve hoſtibus obviam ire conſtituit, et opportunitate uſus, praelio fortiter inito, tamdiu ſuſtinuit impetum, dum ordines eorum perrumperet, totamqve aciem turbaret. Ita victa eſt tandem Semgallorum pertinacia, et Semgallia armis comita,

ta, et rursus sub iugum missa, spe libertatis excidit, atqve in pristina conditione permansit. Cuius victoriae nuncius ad vicinos perlatus, Lithuanos et Samogitas perterruit, ut cladis memores, qvieti essent. Eodem tempore Doblinum recepit, cuius servandi spes Burchardo adempta fuerat. Praeterea Ratenam et Sidropiam, ab Semgallis conditas, in potestatem suam redegit, et summam rei bellicae, duobus annis, bene sapienterqve administravit, sed Magistratu functus, opinione citius e vita excesit.

XX.

1289. OTTO HOGENBACHIVS, confecti per Conradum belli fructum cepit maximum, neqve ei causa fuit, cur metu curaqve rerum bellicarum angeretur. Nam proximae expeditionis, prosperiqve successus fama sic finitimos perterrefecit, ut qvod antea ad perniciem cogitaverant, id emendata cladibus ferocia, ad pacis studium con-

converterent, atqve usu edocti, cum Germanis sibi esse negotium scirent. Dani, qvi tunc Esthoniam tenebant, tranqvillitatis studio ducti, pactis stabant, pacemqve bello anteferebant. Cum foris iam nemo esset, qvi Magistrum lacesseret, Livonia domi cum factionibus conflictata est, nec multum abfuit, qvin primores Ordinis, et Antistites aemulatione incensi, alteri adversus alteros pugnarent. Qvo est factum, ut respublica civilibus discordiis agitata, in suam ipsa perniciem se armaret, nisi morte Ottonis, qvi ab armis discedere noluit, e periculo erepta fuisset. Duae enim hoc tempore factiones usqve eo distinuerunt Livoniam, qvoad vixit Magister, qvi minus, qvam decuit, in muneris perfunctione moderatus, neqve odium et aemulationem patriae remittere voluit, maiora animo, qvam eius fortuna tulit, aggressus.

XXI.

XXI.

1294. HENRICUS DUMPESHAGENSIS, nullis hoſtium armis petitus, concordiae ſtudium prae ſe tulit, et negotio cum Torpatenſi praeſule transacto, fecit firmavitqve amicitiam, Livoniae utilem, ſi perinde ſincera extitiſſet. At haec pactio ſuſpicionem fraudis praebuit Ioanni, Livonorum Antiſtitum principi, tanqvam ſi ad disiungendos, et concitandos adverſus eum Antiſtites pertineret. Idcirco ab Archiepiſcopo, ut primum de ea cognovit, reſciſſa eſt, ne callidum illius, qvod ſubverebatur, conſilium, ſibi et ſacerdotibus fraudi eſſet. Nihil temere qvidem de malo Magiſtri animo, et pravo canatu affirmandum eſt, nec tamen. inficiari licet, fato aliqvo periculoſas, et omnino cum Livoniae exitio coniunctas lites, inter Ordinis ſodales, atqve Antiſtitem infeliciter fuiſſe exortas, qvae utrisqve tandem opprimendis

viam patefecerunt. Sed qvia ab armis temperatum eſt, Livonorum animi in ſpem concordiae erecti ſunt, maxime cum litium auctores fatali neceſſitate, alter poſt alterum, rebus humanis eriperentur.

XXII.

1296. BRVNO omnem magiſtratus auctoritatem in armis repoſuit, et multa movere auſus, non parum libertati Antiſtitum derogavit. Nam comitiis, creando Rigae Archiepiſcopo indictis adeſſe, et aſſidere voluit, qvod ius Epiſcopi, antiqva conſvetudine ſubnixi, neqvicqvam ei tribuendum cenſuerunt. Res a pertinacisſimis diſputationibus ad arma venit, et Livoniae felicitas inclinata eſt, auctis ambitione diſſidiis, atqve internecinis bellis. Sic enim ſe res humanae habent, ut raro diuturna felicitas ſit, et ſumma imperii in rebus dubiis, caſibusqve adverſis, magnum plerunqve

qve diſcrimen ſubeat, et repente convertatur. Qvod eo magis tunc dolendum fuit, cum belli externi vacatio eſſet, et mutuis Principum diſſidiis conſilia qvoqve barbaris proderentur, aſſumptis in ſocietatem belli Lithuanis, qvos Ioannes Fechtius, Rigae Archiepiſcopus foedere ſibi devinxerat, ne ab aemulo viribus confiſo opprimeretur. Hoc mortuo, Ioannes Sverinenſis, acerrimo Vir ingenio, paravit bellum, et armis cauſam egit, neqve a foedere Lithuanico diſcesſit. Summa utrinqve contentione pugnatum eſt, maximumqve Ordini illatum detrimentum, ager vaſtatus, poſſeſſiones direptae, ſegetes corruptae, aut pabulatione abſumptae. Archiepiſcopo fiduciam pugnandi attulit Vitenes, Lithuanorum regulus, Ordini iamdudum infenſus, et oblata nocendi occaſione uſus, qvi magnis itineribus in Livoniam pervenit, et incondita barbarorum multitudine Archiepiſcopi vires auxit.

auxit. Novem praelia, turbatis Livoniae rebus, commissa, qvorum atrocissimum, et ultimum ad Treidam fuit, in qvo cecidit Bruno, prosperis rebus insolens, et adversis pertinax, sed accepta clade miser, qvia pro ambitione potius, qvam pro caritate patriae dimicavit.

XXIII.

1298. GOTTFRIDVS ROGGA, bellum qvod ab impotenti dominatu coepit, persecutus est, qvum exulceratis utrinqve animis, pax fieri non posset. Archiepiscopus pro libertate stabat, victoria Treidensi confirmatus. Magister, misso ex Prussia supplemento, magnum ad res instaurandas momentum habuit, et Rigenses, iniuriis abalienatos, arcis Neumuhliae obsidionem solvere coëgit. Namqve Bertholdus Bruhanius, qvi pro Ordine Teutonico in Prussia curabat, adiutum profectus, fudit fugavitqve hostes,

ſtes, qvorum multi in aqvas praecipitati, foedo mortis genere perierunt. Lithuani, ut Bruhanium diſtinerent, in Prusſiam in curſione facta, agrum continenter vaſtabant. Itaqve nihil ultra differendum ratus, urgente periculo, ad ſuos reverſus, hoſtem velitationibus fatigatum, cedere coegit. Rigenſes interim ad reſiſtendum Ordini ſe parant, et omnem ditionem eius infeſtam habent. Solicitus metu Archiepiſcopus, deſperata pace, Romam diſcesſit, et aliqvanto poſt ibi mortuus, vacuum reliqvit locum. Bonifacius Pontifex, eius nominis VIII. reſpexit perturbatam bello Livoniam, et Archiepiſcopum creavit Iſarnum, probum et recti exempli virum. Is calamitoſo temporum ſtatu, diſcordiarum civilium pertaeſus, cetera diligens pietatis cuſtos, munere ſe abdicavit. Poſt eum Fridericus Boiemus dignitati impoſitus, adminiſtratione optimatibus, qvi pro abſente *metropolin* curabant, permiſſa,

Romae

Romae conſenuit, procul ab omnibus periculis et turbis. Magiſter alte inſidentis iniuriae memor, armis et ſolerti conſilio patres ſacros eludebat, et perniciem atqve exitium cum Livoniae praeſulibus, tum Rigenſibus praecipue machinabatur. Hi viciſſim inimico in Ordinem animo, certamina inibant, et pro libertate nitebantur. Rebus in hunc locum deductis, pace opus erat, qva Livonia mutuis cladibus feſſa, reſpiraret. Qvare conventus Torpati actus, et conſiliis ultro citroqve habitis decretum eſt, ut pax iuſtis et aeqvis conditionibus fieret, et ne ſpecie infidae pacis, denuo qvies turbaretur, delecti ſunt prudentes, et nobilitate inſignes arbitri, qvi componendo bello operam darent, eorumqve placitis ſtarent partes: ſi contra facerent, hoſtes Reipublicae iudicarentur: ſi bellum gererent, communi conſilio, viribusqve coniunctis rem bellicam adminiſtrarent. At Ioannes Saxo, ab Erico

VII.

VII. Esthonibus praefectus, inconsulto rege, his pactis teneri noluit, et de rei novitate conqvestus, nihil tamen contra antiqvum foedus fecit.

XXIV.

1307. CONRADVS IOCKIVS fido et constanti in rempublicam animo, res diu tranqvillas habuit, postqvam belli civilis impetus resedit. Non tamen otiosus domi tempus extraxit, neqve gentis suae iniurias neglexit, prodito aliis exemplo, qvo moneantur, fortunam, ubi se praebeat, sine mora esse prensandam. Adiutus igitur Kettelhardi, qvas ex Prussia adduxit, copiis, et comparato belli instrumento, Russos populationibus Livoniae infestos, petiit et profligavit: tum Plescoviam obsidione clausit, qva expugnata, obiecto barbaris repagulo, firmavit potentiam et tutos reddidit fines. Iam pace et otio fruebantur Livoni, qvum Magister victoria Rusfica

ſublatus, nec praeſentium rerum fortuna contentus, Antiſtitem Oeſilienſem repente aggreſſus, terrore illato, oppida et arces occupavit, Habſaliam, Lodam et Lealiam, ac omnem deinde Vikiam, in poteſtatem ſuam redegit, Lithuanis, ne opem ei ferrent, bello Prusſico impeditis. Antiſtes Magiſtro impar, iniurias Pontifici expoſuit, qvi, annitente, de qvo ſupra tradidi, Iſarno, inducias ſvaſit, et partes vetuit diſceptare armis. Hoc tempore magna annonae caritas tres continenter annos Livoniam afflixit, qvam deinde ſumma rerum copia et ubertas conſecuta eſt, ſed ſanata priori plaga, magna vis morbi denuo in rempublicam prorupit, concitante impetum Magiſtro, bellumqve ad opprimendos Antiſtites conflante. Res ad Pontificem delata, ut in civili diſſenſione, auctoritatem interponeret, et ſummae rerum Livonicarum conſuleret. Pontifex auditis utrinqve rationibus, aeqvior in Ordinem viſus eſt:

eſt. Antiſtites nihil, aut non multum ſe impetraturos ſubveriti, detrectant congreſſum, neqve ſententiam expectant, et protinus Lithuanorum, renovato cum illis foedere, copias accerſunt. Ordo ſubita irruptione perterritus, cum aliter non poſſet, dabat fortunae locum, patrociniumqve Chriſtophori II. Daniae Regis exorabat, ac necesſitate victus, ad noviſſima haec auxilia deſcendebat. Cum Ordo verſaretur in his difficultatibus, qvas Magiſter explicare vix poterat, curis laboribusqve confectus, vitam cum morte commutavit.

XXV.

1327. EBERARDVS MONHEIMIVS opera et conſilio fideli de Livonia meritus, pace belloqve Reipublicae profuit, adeo ut eum nunqvam ſuae adminiſtrationis poeniteret. Rigenſes Dunemundae, qvae ad Ordinem pertinebat, potiundae ſpe excitatos,

consilio tempestive detecto, submovit. Represso hoc conatu, ad coërcendos Rigensium impetus se convertit, et evocatis, qvam poterat celerrime auxiliis, Rigenses ad urbem usqve persecutus est, ut populum sibi infestissimum premeret, et recentes iniurias, qvas, proxima arce igni vastata, cumulaverant, impigre acriterqve ulciscceretur. Itaqve urbi admovit exercitum, ac summa vi oppugnatam, et aditu, ne annona subvehi posset, intercluſam, certis tandem, ira temperata, conditionibus expugnavit. Primores urbis, ad petendam veniam, in castra misi, ad pedes Magistri se proiecerunt, et deditione facta, omnia sua ei permiserunt, et iura atqve privilegia, nullo eorum excepto, in potestatem victoris tradiderunt. Sic belli, ad qvod stimulavit aemulatio, eventus in fortuna positus, faciem urbis insigniter mutavit, parte muri solo aeqvata, et arce ibidem aedificari iussa, qvae rei infeliciter

ter armis tentatae commonefaceret cives, et eosdem in fide atqve obſeqvio contineret. Procedente vero tempore, aliqvae immunitates urbi paulatim redditae, ac redintegratae ſunt, ſed vectigal, qvod pro piſcibus penditur, et dimidium pecuniae mulctatitiae, qvae ex iudiciis ad ſenatum perveniebat, ſibi et ſucceſſoribus, placato Magiſter animo reſervavit. Cum haec proſpere eveniſſent, bellum Ruſſis intulit, ne inultos ſineret, qvi Lithuanis ſe ad oppugnadum Pruſſos iunxerant, finesqve ſociorum ferro et igni vaſtarant. Bene illi vertit conſilium, et Ruſſi armis fatigati: ſed qvin horum ferociam frangeret, Lithuani obſtiterunt, qvi cum ingentibus copiis Livoniam ingreſſi, nullo crudelitatis genere abſtinuerunt. Igitur ad arcenda oppidorum excidia, atqve ad prohibendas agrorum vaſtationes, cum exercitu regreſſus, inito cum Lithuanis praelio, et oppreſſa hoſtium multitudine, Satatem gentis regu-

lum, in fugam vertit, et fugientem insecutus, Lithuaniam excursionibus divexavit. Itaqve animis consternati, pacem perinde ac Samogitae petierunt. Qva confecta, denuo arma in Rusiam tulit, et adiutore Arensburgio, qvi cum eqvitatu auxiliatum venit, Russos invasit, bellumqve a Livoniae finibus avertit: reliqvum tempus in tranqvillitate, et aedificandi studio transegit fortissimus princeps, cuius virtute stetit Ordo, et hostes suos devicit.

XXVI.

1341. BVRCHARDVS DREILEVIVS, qvam privatus Ordini expectationem commovit, eam in publica fortuna sustinuit, et ornandae regioni cupidus, arces Mariaeburgum, et Frauenburgum extruxit, alias reparavit, et ruinas earum refecit, ut fines ab incursionibus Russorum tueretur. Reiectis ab oppugnatione Mariaeburgi bar-

barbaris, impoſuit Arnoldum Fitinghovium, in ſua et Ordinis clientela futurum, et bona ac poſſeſſiones, eo in loco ſitas, fideliter adminiſtraturum. Neuter fefellit opinionem ſuam, nec Magiſter prius, de curſu expeditionis Ruſſicae, ſe revocari paſſus eſt, qvam iuſto bello conſtituiſſet pacem. Ex eo tempore res in Livonia tranqvillae fuerunt, qvod Germani certatim eo venirent, alii ad res gerendas, alii ad importandas, et exportandas merces. Sed Eſthones, qvi agrum incolebant, ex libertate, ad ſervitutem, et fortunam humilem detruſi, ſeditionem concitarunt, Germanosqve opprimere conati ſunt, cuius motus initium fecerunt Harienſes, et plurimis Germanorum Danorumqve interfectis, iugum a cervicibus repellere, in animo habuerunt. Virienſes deinde et Vikienſes Harienſium exemplo adducti, in ſpem repetendae libertatis venerunt, et Germanos, ſublato aetatis ac ſexus diſcrimine, mactarunt:

multi in ſilvas ſalutis ſuae cauſa fugere coacti, qvidam inedia confecti, alii aliis modis abſumpti: moeſtitia et metus, cladiumqve exempla ante omnium oculos erant. Oeſilienſes pari odio Germanici nominis incenſi, ne ſacerdotibus qvidem pepercerunt, iamqve exercitu decem millium conflato, Revaliam, qvod frenos ferociae gentis iniiceret, occupare inſtituerunt. Burchardus rei indignitate motus, et a praefecto urbis auxilium rogatus, curam liberandae urbis ſuſcepit, et qvos de pace miſerant iſti perduelles, re infecta dimiſit, princeps qvidem bonus, et Livonorum Eſthonumqve amans, ſed ea tempora lenitatem non ferebant, ne iniuriam nomini Germanico factam, et cum tot tantisqve cladibus eqveſtrium familiarum coniunctam, negligere videretur. Proinde praelio decertavit, et pertinaciſſime pugnantes, cum ſe recipere non poſſent, omnes fere delevit: reliqvos Eſthones, ut incoluri

fortu-

fortuna qvieſcerent, priſtinamqve conditionem aeqvis animis ferrent, hoc ſeverisſimae ultionis genere admonuit, Ordini eqveſtri, magnis ob tumultum periculis implicito, manſvetudinem ſvaſit, Dani et Livoni pariter eius fortitudinem ac felicitatem collaudarunt. Compreſſa ruſticorum factione, Habſalia e periculo erepta, dilapſis, qvi eam obſederant, Eſthonibus Vickiis, et audita perduellium clade, ſic perterritis, ut omnes in fugam effuſi, in ſilvas ſe abderent, et aliqvandiu laterent. Fenni, qvos ruſtici in partes traxerant, Viburgo Revaliam profecti, allato ſtragis nuncio, nihil hoſtile auſi, ad ſuos redierunt, ſed Harienſes et Torpatenſes, nondum qvieverunt, et aſcitis in ſocietatem belli Ruſis, novas factiones agitarunt, factisqve pasſim caedibus, per cauſam frumenti Fellinum convehendi, decimasqve ſolvendi, in ſaccis delituerunt, opportune, ſi res ſuccederet, egreſſuri, arcemqve Felli-

nenſem occupaturi. Sed conſilio ſceleris patefacto, turba omnis obtrita deletaqve fuit: Ruſi, qvi advenerant, profligati. Poſtea Oeſilienſes mulctati, caeſa novem millia inſulanorum ferunt: inſtrumentum bellicum omne ablatum, et Lealiam devectum: tum arx Sonnenburgenſis iuſſu Magiſtri conſtructa. Hos motus conſecuta eſt irruptio Lithuanorum et Samogitarum, qvi Semgalliam crudeliter populati, Tarvita arce intercepta, et Mitavienſi Rigenſiqve agro direpto, Segevoldam progreſſi, amplius mille et ducentos homines, a parentibus et liberis abſtractos, in ſervitutem redegerunt. Sub hoc tempus generalis Prusſiae Magiſter erat Ludolphus Koenigius, qvi Magiſtro provinciali auxilium, qvod contra Lithuanos petebat, tempeſtive non ſubmiſit, eaqve cauſa multorum, qvae tunc in Livonia ingraveſcebant, malorum cauſa fuit,

XXVII.

1347. GOSVINVS ERCKIVS, cui principatus Ordinis merito attributus est, qvod prae aliis id faciendum sibi putavit, ut ad locupletandum Ordinis patrimonium curam adhiberet. Hoc virtuti ac fortunae acceptum referri oportet, qvoniam nullas partes suas in arripienda, qvandocunqve ei oblata est, occasione praetermisit. Idcirco et in retinenda potentia constans, et in augenda sedulus, Rigae Antistiti, urbis huius restitutionem deposcenti, respondit, et oblocutus est, neqve adduci potuit, ut iure suo cederet, qvod bello et pactione superiori niteretur. Controversia Avenione, ubi aula erat Pontificis, disceptata est: nihil obtinuit Engelbertus, qvamvis conspectum Clementis VI. Pontificis non fugeret, et pro sua Praesulumqve causa propugnaret. Tanta fuit Magistri auctoritas, tantaqve potentia, ut eius offensionem non duceret e re sua.

Faſtidiebat moram Engelbertus, et varie affectus, inter contraria partium ſtudia, accepto incommodo tandem in urbe illa moriebatur. Aliqvanto poſt Magiſter novam qviescendi occaſionem nactus eſt, cum Valdemarus III. Daniae Rex, voti religione obſtrictus, ſe ad iter Hieroſolymitanum compararet, atqve ad faciendos ſumptus, pecunia indigeret. Per id tempus ſummam rerum in Pruſſia tenebat Henricus Druſemerus, titulo Magiſtri Generalis conſtitutus, qvi memor occulti, qvod inter Germanos Danosqve ſaepius gliſcebat, diſſidii, ad ſuam praecipue dignitatem, atqve ad Ordinis ſecuritatem pertinere iudicabat, ut Dani ex Eſthoniae finibus excederent. Re deliberata, tandem convenit, ut novendecim millia librarum argenti ſolveret Henricus, et eius, Ordinisqve nomine, Gosvinus in poſſeſſionem mitteretur. His modis, tres luculenti tractus, Hariae, Viriae et Allentakiae,

kiae, cum tribus oppidis, Revalia, Vesenburgo, et Narva, Gosvini consilio in ditionem Ordinis venerunt. Ita firmato Ordinis imperio, qvietus Reipublicae status fuit. Rusi enim Plescovienses, Smolenskiani, et Vitebecenses, sedibus exciti, fortiter repulsi, et foeda clade accepta, Livoniam reliqverunt, atqve a vastandi studio, ac pugnandi ardore destiterunt. Cum res Livonica, amplificatis opibus, et, adiectis ad imperium novis Esthoniae possessionibus, floreret, sese abdicavit principatu Gosvinus, prudens ac bellicosus, et rerum gestarum fama insignis.

XXIIX.

1360. ARNOLDVS FITINGHOFIVS, haud negligenter administravit Rempublicam, nec infeliciter bellavit adversus barbaros, neqve hyemali tempore omisit rem militarem. Primum e republica visum est, compri-

mi

mi Lithuanos, qvorum regulus erat Kieyſtutus, ferox, et ad laceſſendum promptus. Hunc Arnoldus, praelio ſuperior, fregit, captumqve miſit Mariaeburgum, ſed corruptis argento cuſtodibus, tertio poſt captivitatem die, mentitus habitum evaſit, catenis, qvibus vinctus erat, ſolutis. Diurno tempore in ſilvis et montibus delituit, ut falleret milites ad inqvirendum miſſos, et ſecure nocturno itinere elaberetur. Patricus reguli filius, eodem tempore adibat periculum, cum pro liberando patre dimicaret. Prope erat, ut eqvo excuſſus caederetur, ſed pugnantem, et dedere ſe recuſantem, ſupervenientes Lithuani ſervarunt. Pater ubi ad Lithuanos rediit, contractis denuo auxiliis, exercitum ad fines Pruſſorum admovit, mox immiſſo ad vaſtitatem faciendam milite, Gedanum usqve perrexit. Relictis paſſim ſaevitiae veſtigiis, praeda locupletatus, Prusſiam relinqvere conſtituit, qvem abeuntem inſecuti Cuno

Bar-

Bartenſteinius, et Raſtembergius, vi ſumma adorti, praelium commiſerunt, victumqve in cuſtodiam tradiderunt. Sed rurſus et tertium ſe proripuit, annitente qvodam Lithuano, Chriſti ſacris initiato, qvi miſericordia captivi commotus, fugae occaſionem praebuiſſe fertur. Ceterum Arnoldus eadem, qva Knippenrodius conſtantia, Lithuanos bello perſeqvendos cenſuit, et iniurias, promotis in Lithuaniam ulteriorem caſtris, vehementer ultus eſt, praeſertim cum Germani a Boiis profecti, Rupertus et Venceslaus duces, opem laturi, cum delecto milite, in Prusſiam veniſſent. Hi adiutores belli, Lithuaniam et Samogitiam vaſtabant, agrum dicipiebant et exurebant, caedibus, rapinis, terrore omnia implebant, nec Prusſi mitiores, et magnitudine iniuriarum permoti, nongentos captivos, arce incluſos igni ſubiecto, vivos cremabant. Sed ne Grodnam interciperent, Patricus impediebat,

bat, et oppugnantibus pertinaciter reſiſtebat. Arcem Caunae permunitam, repulſo Olgerdo, occupavit et delevit Arnoldus. Eam cum valido praeſidio tenebat Voidatus, natu minor Kieuſtuti filius, qvi cum ſex et triginta primoribus nobilitatis captus eſt, reliqvi fumo et flamma conſumpti, miſere interierunt. Ideo de pace conſultari coeptum, qvae prius qvam coiret, Arnoldus in Lithuania extinctus eſt, cum acrius inſtaret hoſtibus, et nimio ardore vitam ſuam in diſcrimen offerret.

XXIX.

1364. VILHELMVS FRIMERSENIVS, acri ingenio, et pari conſtantia in hoſtes profectus, et bellum Lithuanicum perſecutus eſt, qvod ita gesſit, ut barbari, metu vaſtitatis et cladium conſternati, pacem facerent, et ab Ordine iniuriam abſtinerent. Ruſſis qvoqve et Semgallis infeſta ſigna intulit,

tulit, atqve ad eos non minus compeſcendos, qvam humanitate Chriſtiana imbuendos, magnis itineribus properavit: oppida, et in his praecipue Revaliam et Narvam eximie dilexit, alteram qvod Eſthonum caput eſſet, priſtinumqve dominum laeto Ordinis auſpicio mutaſſet: alteram, qvod publico eam immunitatis privilegio cohoneſtaſſet, atqve adeo ſuam urbem appellare conſueſſet, ut vel hoc argumento confirmaret, illam cum Livonica ditione arctius coniunctam, deinceps in ditionem Ruſſici nominis non redituram. Lites cum Antiſtite Rigenſi auctoritate Vrbani V. compoſitae, et poſt multas ac diuturnas utrinqve controverſias, conditiones tandem acceptae, atqve in conventu, Gedani eam ad rem inſtituto, approbatæ ſunt, ut Magiſter atqve eius ſodales omni in Rigam iurisdictioni renunciarent: Antiſtes vicisſim ab exigendo iureiurando deſiſteret, qvo Magiſter et Ordo ei tenebantur. Qvae concordia

qvi-

qvidem Livoniae utilis, et Ordini ad bellum Lithuanicum ſpectanti percommoda erat, ſed gliſcentibus poſtea offenſionibus, parum ſtabilis fuit. Magiſter enim non ſine detrimento exiſtimationis ſuae fieri poſſe cenſebat, ſi patres ſacri Rigenſis collegii priſtinum atqve uſitatum habitum mutarent. Qvod ſive novitatis odio, ſive ex alia cauſa accidit, tamen recens deſignatus Antiſtes, Sigfridus Blombergius, aliter inſtituit, et abrogato Praemonſtratenſis familiae habitu, Auguſtinianae ſodalitatis veſtitum recepit, et imitari voluit: e diverſo Magiſter priſtinum tueri perſeveravit. Ab Antiſtite ſtabat Pontifex: Magiſter veteri conſvetudine nitebatur, et communem utrisqve oportere eſſe habitum, cupiebat. Cumqve dehortando nihil proficeret, vim adhibuit, et omnes Antiſtitis ditioni ſubiectos, praeterqvam Rigenſes, male mulctavit, bona et poſſeſſiones occupavit, fructus deniqve ſacerdotiorum intervertit. Sigfridus,

fridus, cum reſiſtere non poſſet, A venionem abiit, et de iniuria conqveſtus eſt, ſed infecto negotio, e vita decesſit, in cuius mortui locum ſubrogatus eſt Ioannes Sintenus. Nec diu ſuperſtes fuit Magiſter, qvi magnam fortitudinis laudem aſſecutus eſt, ſed gravius, qvam par erat, conſuluit in Pontificem Rigenſem.

XXX.

1374. IOBVS VLSENVS principatum Ordinis bene gesſit, ſed relicta bellorum civilium materies, novum in Livonia concivit motum. Foris qvidem res laetae, at domi turbulentae fuerunt, propterea qvod Magiſter totis viribus annitebatur, ut primarium Livoniae Antiſtitem, neglecto Pontificis edicto, multis et repetitis moleſtiis defatigatum, Ordini obnoxium redderet, huiusqve rei cauſa ad vim ſe compararet. Simul lites inter Magiſtrum, et Torpatenſium antiſtitem, recrudue-

runt, qvae ſopitae antea, ſed non ſanatae penitus ſublataeqve videbantur. Cauſam novo certamini praebuit Ioannes Heberus, aſſenſu Clementis VII. et voluntate Magiſtri, praeſul Torpatenſis deſignatus. Obnitebatur huic Ioannes Dameravius, ab Vrbano VI. in praeſulis dignitate confirmatus. Vicit tamen Magiſtri auctoritas, et movit ſpectantium animos, qvod armatus Heberum inaugurationis cauſa in templum deduxiſſet. Dameravio, depoſitis infulis, ad privatam conditionem redacto honor *Canonici* eſt relictus. Statim atqve voti compos fuit Heberus, eo curam intendit, ut omnia coetus Torpatenſis negotia integre procuraret, imprimisqve cavit, ne qvid deinceps pro Magiſtro ageret, qvod per fidem et auctoritatem ſuam agi fieriqve non liceret. Idcirco Magiſter grati officium in eo deſideravit, et in contrarias partes ſe vertit, bellum prima occaſione illaturus. Sed prius animum adiecit ad ſubigendum

Oeſiliae

Oesiliae Antistitem, nec leve tantae rei momentum habuit, qvando patres proceresqve eius sacerdotii, suspicione ducti, Antistitem comprehensum, in carcerem duci iusserant, ubi pedore loci, et sqvalore confectus interiit. Sed causa mortis celata est: alii eum sibi necem consciviſſe opinati sunt, alii inimicorum acerbitate sublatum, crediderunt. Neqve his defuit suspicandi ratio, nec memoria facinoris obliterata est: Magistro ea fuit occasio sedis illius, suo atqve Ordinis imperio subiiciendae. Qvare sua auctoritate Antistitem creavit, et huius creandi ius ad se pertinere affirmavit, et ut idem successores facerent, exemplo praeivit. Constitutis in Oesilia rebus, Lithuaniam excursionibus vexavit, sed non eadem semper fortuna usus est, et aeqvatis interdum damnis, ab hoste feroci et insidioso recessit, viarum difficultatibus et silvarum solitudinumqve vastitate impeditus. Brevi post aemulatio

eum retraxit in Livoniam, ubi propter veteres cum Antiſtite Rigenſi inimicitias, Conrado Vallenrodio generali Ordinis Magiſtro, ſe adiunxit, et collecta ſodalium clientiumqve manu, ad belli ſocietatem accesſit. Impar tot hoſtibus Antiſtes, nec ſua potentia fretus, rebus afflictis, Lubecam navigavit, ut abſens cauſam liberius diſceptaret, neqve ad iniqve paciſcendum cogeretur. Sed Magiſter, qvod iure obtinere non potuit, vi aſſeqvendum ratus, nullam pacis conditionem accepit. Igitur antiſtes apud Venceslaum Caeſarem de iniuria conqveſtus, per vim ablata repetiit: Caeſar decreto in Antiſtitis ſententiam facto, non ſedavit lites, ſed magis accendit. Nam ab eius ignavia ſibi non metuebant, nec verbis ſolum, ſed armis rem gerebant. Amici Caeſaris nihilominus inſtabant, et urgebant, ut bona Ordinis in regno Boiemiae ſita tantiſper detineret Caeſar, dum Magiſter voluntati eius mandatoqve

toqve obſeqveretur. Antiſtes ipſe Pragam venit, et literas ad conciliandum ſibi Pontificem exaravit, qvibus Romam perlatis, Bonifacius IX. ad cognoſcendam cauſam animum intendit. Sub idem tempus Magiſter legatum miſit, qvi Pontifici Romano exponeret, rem Chriſtianam minus ab iniuria vicinorum tutam fore, ſi antiſtes Rigenſis ab imperio Ordinis eximeretur: tum merita, labores, pericula, pugnas pro Dei honore, et religione ſuſceptas commemoravit, bella ſecundo eventu geſta teſtatus, qvo ad concordia extitiſſet: gentes immanitate barbaras, non magis ſumptu, qvam ſangvine Ordinis ſubactas, ad priſtinam conditionem, non placatis domi animis, redituras: hoc rerum ſtatu, non dubitare, qvin Livonia praedae rapinaeqve relinqvatur. Demum amplo et luculento munere, gratum Pontifici animum declaravit, et ſummum vrbis antiſtitem ita ſibi devinxit, ut pronunciaret, vim

omnem ac poteſtatem penes Magiſtrum Ordinemqve futuram: Ioannem Sintenum Archiepiſcopi Rigenſis dignitate ceſſurum, et in Lithuania nuper ad Chriſtum traducta, titulo *patriarchae* curaturum: Ioannem Vallenrodium Ioanni Sinteno in primarii antiſtitis munere ſucceſſurum. Litibus ad hunc modum compoſitis, ſuam qvisqve provinciam ſuſcepit, Sintenus priusqvam attigit Lithuaniam, deſiit eſſe in humanis. Vallenrodius nobiles, ſuae iurisdictioni contributos, ad clientelas beneficio ſuo recipiendas commonuit, repugnantes coegit, pertinaces ditione ſubmovit. Iobus vero ſex annis Magiſtratum geſſit.

XXXI.

1394. VOLDEMARVS BRVGGENEVS, qvibuscunqve rebus potuit, Livoniam ornavit, et iuvit Conradum Vallenrodium, qvi conſilia ad perniciem Anti-

Antiſtitum conferre coeperat, nec-
dum odiſſe deſinebat. Ea mente pro-
pter ſocietatem Ordinis cupiebat, ut
viribus coniunctis adverſus Torpar-
tenſem niterentur, et auctoritate ac
mutuae opis fiducia eum deprime-
rent, aut flecterent: ſi neutrum ſuc-
cederet, armis experirentur. Mox
cauſam idoneam qvaerunt, et tribu-
tum ab eo poſtulant, ſed non extor-
qvent. Antiſtes enim reſiſtendi ſpe
dejectus, cum vires domeſticae non
ſufficerent, ad alienas confugit, omnia
pro libertate auſurus. Proinde icto
cum vicinis foedere, et ſpe praedae
ac rapinarum propoſita, excivit Rus-
ſos Plescovienſes, Lithuanos, et Sa-
mogitas, qvi ut omnem ſuum furo-
rem in Magiſtrum effunderent,
ſumma feſtinatione properarunt.
Confeſtim his obviam ivit, et praelio
conflixit Magiſter: tanta utrinqve per-
tinacia dimicatum eſt, ut pari fere cla-
de praelium dirimeretur, Barbari
ad ultimum cedebant, ſed victoria ni-

mis cruenta, et Magiſtro inutilis erat, qvia vires acciſae, et res Ordinis manifeſto periculo labantes, non ſinebant perſeqvi hoſtes, ſed omnium animos in metum impellebant, et incurſandi ac vaſtandi conſilium impediebant. Ita ſenſim pacis cogitatio animos ſubiit, poſtqvam ſua qvisqve populus mala ſenſit, ac temporum neceſsitati hoc tribuendum duxit. Maxime poſt mortem Vallenrodii, qvi bellum geri maluit, ſecus atqve ſucceſſor eius Conradus Iungingenſis, qvi non abnuendam eſſe pacem, ſed primo qvoqve tempore accipiendam, et aeqvis conditionibus faciendam ſvaſit. Gedani eam rem agi placuit, neqve tunc maior conſultatio incidere potuit, qvam ea, qvae ad finiendum bellum ſpectabat. Pax ut multorum ſpem diu ſuſpenſam tenuit, ſic tandem convenit, et eo tutior credita, qvo aeqvior eſt viſa. Verum ira et odio erga Samogitas accenſus Magiſter, pacem pati non potuit, et ſumma hyeme, fluminibus-

minibusqve glacie duratis, cum expedito agmine impetum fecit in Samogitiam, et regione direpta, praedas abegit, plurimos trucidavit, nec pauciores abduxit in ſervitutem. Erat illi animus contumeliae inſolens, et gloriae avidus, qvi ancipitia, qvam tuta praeoptavit, ac nihil minus, qvam iniuriam tulit, et ideo Samogitas invaſit, ſuperiore illorum expeditione, qvam pro Torpatenſi ſuſceperant, commotus.

XXXII.

1403. CONRADVS FIETINGHOVIVS, animo et uſu rerum validus, opportune ſe paravit ad omnes eventus, more principum, vires magis, qvam ingenia exercentium, ut rationes agendi expeditas habeant, et conſilia temporibus accommodata perficiant, qvae, amiſſa occaſione, inania ſunt, et proſpero ſucceſſu deſtituuntur. Qvod ne fieret, omni conatu providit

Magiſter, cuius ante omnes inſignis opera fuit in bello, et fortiter agentem non fefellit fortuna. Idcirco relictis domi praeſidiis, movit in Ruſſiam, et caeſis apud Modam flumen Plescovienſibus, exercitum incolumem reduxit. Multi hoſtium interfecti ſunt, complures, cum effugere non poſſent, ſaluti deſperantes, in flumine et paluſtribus locis perierunt. Sed victoriam, ut animo propoſuerat, perſeqvi non potuit, cum ea tempora inciderent, qvae omnino reditum eius reqvirebant. Enimvero Magiſter generalis, ut qvam primum ad tuendam Prusſiam veniret, eum per literas nunciosqve admonebat. Simul ac de Prusſiae periculo cognovit, nihil ſegniter faciendum ratus, maturavit reditum, et belli ſocietatem iniit, ut Prusſis laborantibus auxilio eſſet. Cuius adventu qvidem Conradus Iungingenſis laetus valde et erectus, maiorem deinde exercitum educere ſtatuit, ſed ut miti, et abhorrente ab ſaevitia

vitia animo erat, ſic rationem potius, qvam fortunam ſecutus, collaudata Fietinghovii fide, pacem cum Polonis faciebat. Eodem tempore qvieta Livonorum fuere conſilia, et res Ordinis ſecundae, opes amplae, ac hoſtibus metuendae. Magiſter domi tutus, munia ſua diligenter obiit, foedera et amicitias coluit, et qvae in conventu Mariaeburgenſi a Prusſis et Livonis conſtituta, atqve in tabulas relata ſunt, approbavit, et ſubſcriptione ſua confirmavit.

XXXIII.

1414. DIETERICVS TVRCVS, qvi ab aliis Teekus cognominatur, ſedato praeditus ingenio, pacis ſtudium e republica duxit, atqve ab odio et ulciſcendi cupiditate alienior, extra invidiam et ſuſpiciones agere voluit, ſeu metu periculi, qvod turbatis bello rebus verebatur, ſive naturae qvadam moderatione, qvum aetate inclinata eſſet,

eſſet, ſive qvod in agro colendo, et urbibus freqventandis tranqvillitatem praecipue neceſſariam exiſtimaret. Nihil tamen in cura patriae deſiderari paſſus eſt, et milites bello expertos habuit, ſi ferocia barbarorum armis reprimenda eſſet. Nam ſaepe eventus aliud, atqve cogitant Principes, poſtulat, et promptum auxilium contra vim repentinam, propter ancipites incertosqve caſus, reqvirit, ne imparati opprimantur. Sed, benigniore fato illorum temporum, qvieverunt vicini, et Magiſter, qvoad potuit, vires etiam ſuas qviete confirmavit. Polonos bellum apparantes, nulla acerbitate irritavit, ſed aeqvitate permovit, ut lites nuper exortas, concilio Conſtantienſi tranſigendas permitterent, et vicinitatis iura tantisper ſervarent. Qvae res Pontificis legato curae erat, et fortuna qvoqve haec moderata Magiſtri conſilia adiuvabat, ſed haec agentem, et ſuos atqve Ordinis ſocios, ſpe compoſitionis

nis facta, confirmantem mors eripuit, cum qvo pax ſublata eſt, et priſtina Ordinis felicitas ſenſim defecit. Huius Ordini imminentis periculi magnitudinem, caeſo Vlrici Prusſiae Magiſtri exercitu, facile intellexit, et animo providit Dietericus, qvi moderatione, et moris conſtantia, integram inviolatamqve ſodalitatem, uſqve ad ultimum vitae tempus conſervabat.

XXXIV.

1418. SIBERTVS LANDERVS, audendo promptior, qvam agendo felicior, plus tertoris, qvam damni vicinis intulit, et varia fortuna uſus, bello inprimis Lithuanico vires confecit ſuas. Eqvidem cupiebat reſtitui Prusſiae Samogitiam, antiqvitus Lithuaniae coniunctam, ſed a Vitoldo, gentis duce, Prusſis perpetuo iure attributam, cum eis praeeſſet Conradus Iungingenſis. Poſtea Vlricus in Conradi, fratris mortui, locum ſubrogatus eſt,

cui

cui Vitoldus Samogitiam eripuit, ob violatas pactorum leges, atqve ob iniurias, ſibi et Vladislao Iagelloni illatas. Qvae res Siberto, belli cauſam qvaerenti, et Vlrico qvietis pertaeſo, opportuna fuit, ad vaſtandos Lithuaniae et Maſoviae fines. Vlricus ſimul actionem damni dati Vladislao intendit, et armis executus eſt. Statim Dobrinum Polonis ereptum, cetera et finitima oppida vi capta ſunt, aut non diu reſtiterunt. Sibertus magno qvidem conatu in hoſtilem terram intravit, et agrum circumiacentem populatus eſt, ſed male mulctato, qvem adduxerat, exercitu, ſpem ſubigendae Samogitiae amiſit. Tota demum coniuncti Ordinis expeditio fructu victoriae caruit, cum Vlrico, poſthabita Regis auctoritate, bellandi ſententia ſtaret. Erat huic ingenium militare, neqve otii patiens, et ad res repetendas erectum, inprimis ad labores caſtrenſes perferendos idoneum, atqve in ſumma fortuna indulgens

gens ſibi, et conſilio praeceps. Qvare nihil modicum ei placuit, et oblatae pacis conditiones reiectae ſunt, dimiſſo, qvi ad componendas lites venerat, legato. Ita Vlricus arma ſumpſit, et Poloniam ingreſſus, intercepto, ut dixi, Dobrino, qvam celerrime poterat, in aciem prodiit, et pertinaciter pugnavit. Poloni totis viribus congreſſi, ſummo, et ſaepe repetito impetu, ac reſtituta, cum inclinaret, pugna, Pruſſicas cohortes diſſiparunt, capto meliore belli auſpicio, qvod exitus comprobavit. Sed interventu Sigismundi Hungariae et Boiemiae Regis, de pace tractari coeptum, et ſpatium Pruſſis ſe colligendi datum, eo praeſertim tempore, qvo praelii fortuna Polonis iter in Pruſſiam aperuit, et commodam perſeqvendae victoriae occaſionem dedit. At odium ex Vlrici animo evelli non poterat, neqve Rex niſi aeqva admittebat, Vitoldus ſemper in Poloniae partibus erat, copiasqve cum Iagellone iungebat. Vlricus

ricus gloriae appetens, et victoriae, qvam ſibi promittebat, avidus, contra duos exercitus tendebat, atqve ad conferendum extemplo praelium ductu infelici properabat. Inſtructa acie, Lithuani aegre obnitebantur, ſed laborantibus Poloni tempeſtive aderant, pugnamqve inſtaurabant. Hoc praelio victi ſunt Prusſi: Vlricus, et complures ex nobilitate caeſi: qvadraginta millia gregariorum interfecta. Nec minor clades allata eſt Lithuanis, Polonis, Maſoviis, Samogitis, Rusſis, eorumqve adiutoribus Scythis. Pugna haec memorabilis commiſſa eſt anno MCCCCX. ad Tannebergam, qvae vires Pruſſorum ſic debilitavit, ut magnae deinde calamitates, et rerum mutationes clades iſtam ſeqverentur. Sibertus in his Prusſiae Sarmatiaeqve motibus, callide ex periculo ſe expedivit, et audita Pruſſorum ſtrage, cum agmine ſuo, haud procul Hollandiae oppido caſtra poſuit, et impetrata ſecure abeundi

eundi potestate, Mariaeburgo se intulit, atqve arcem, contra qvam Poloni et Lithuani speraverant, non dedendam hostibus, sed defendendam svasit, et praesidium ei impositum, viribus et consiliis opportune adiuvit. Tum de pace actum, qvae post multas disceptationes confecta est: Prussi cum necessitati obsistere non possent, conditionem relinqvendae Lithuanis Samogitiae ratam habuerunt. Vita Siberti, tranqvillo Ordinis statu, solutior, et mores minime temperati, reprehensionem non effugiunt, neqve a domesticis scriptoribus excusantur. Illud maxime eius existimationi et famae grave fuit, qvod insontem, non ignarus, falso delatum, ob pertinaciam iure innoxiam, supplicio affecit.

XXXV.

1425. ZISENVS RVTENBERGIVS, nihil prius antiqviusve patriae

salute habuit, et plures annos consulto ab operibus bellicis se abstinuit, ut vires superiori bello deminutas reficeret, et confirmatis domi rebus, maiori spe victoriae adversus hostes pugnaret. Sub id tempus Russi Plescovienses ad vim et arma conversi, agrum Episcopi Torpatensis hostiliter vexabant, et terrore omnia complebant. Qvibus non modo non resistebat Zisenus, sed damna qvoqve Torpatensi inferebat, et tractum eius excursionibus infestum reddebat. Qvae audacia, nullo prohibente, crevit, et auctoritas Praesuli per iniuriam a Zisseno adempta, ac libertas fere omnis oppressa est a Russis. Idcirco antistes suopte praesidio destitutus, auxilium Lithuanorum implorat, qvod sine mora adest saluris tuendae causa. Adversus Magistrum leges patrias, et maiorum instituta profert, misso ad Pontificem legato, qvi nitatur pro dignitate sua, proqve iure, et privilegiis suae sedis omnia experiatur. At paulo

lo pòſt in via, anteqvam Curonia exiret, cum comitatu ſuo interceptus, et a Gosvino Aſchenbergio Ordinis eqvite, in proditoris loco habitus eſt, neqve is ſibi temperavit, qvin legatum, edito crudelitatis exemplo, violaret, facinorisqve ſe auctorem ferret. Eo audaciae procesſit haec libido, ut idem fateri non erubeſceret, qvi admiſerat crimen, qvaſi id ad laudem eius, et ſalutem publicam pertineret. Ziſenus nuncio ſceleris accepto, qvaeſtionem intermiſit, nec percuſſorem in ius duxit. Vtrum conſenſerit, an liber a noxa fuerit, non affirmabo temere, nec audacter refellam. Poſtea a domeſticis negotiis ad curam externi belli revocatus, copias miſit in Lithuaniam, Boleslao Svidrigeloni auxilium laturas. Hic erat Vitoldi frater, et Lithuaniae ducatum eius morte ad ſe delatum cenſebat: e diverſo eum ſibi vindicabat Sigismundus, et nullo iure adimi poſſe affirmabat, tanqvam ſucceſſioni propior, et Vitoldo

patre natus. Frater nihilominus Ruſſorum amicitia nitebatur, et Magiſtri ſodaliumqve animos ſibi conciliabat. Ziſenus neqve animo, nec fortuna deiectus, ad ſocietatem Svidrigelonis accesſit, et conflato exercitu adverſae factioni, qvantis poterat viribus, ſe obiecit. Sed hoſtis rem fortunamqve ſuam praelio committere non auſus, Ziſeno ſpatium impune praedandi dedit, neqveab ullavi inferenda ceſſatum eſt, qvoad Magiſter ibi aetatem in armis transegit. Poſtea reducturus exercitum, vitio et alvi profluvio laborantem, eodem ipſe morbo decesſit, et permulti, genere ac opibus clari, ſimnkinterierunt. Hoc caſu amiſſa eſt opportunitas perſeqvendi belli, qvo augere vires, et oppreſſo hoſte, Lithuaniam occupare, aut Ordini vectigalem obnoxiamqve reddere potuiſſet vir bello impiger, et in rebus gerendis ſolers.

XXXVI.

XXXVI.

1437. FRANCO KERSDORFFIVS, rem Livonicam, invito Ordine, administrandam suscepit, cum generalis Magister Rusdorffius ab eo staret, Equites autem, cognita ipsius indole, magnam rerum conversionem, quae sub tali Magistro futura esset, praesagirent. Verum auctoritate victi, bonam ei mentem precati sunt, et patriam sub eo pacatam fore, optarunt enixius, quam sperarunt. Etenim ille bellandi cupidus, et ira atque ultione ardens confecit exercitum, et Sigismundum, cui odio et aemulatione infensus erat, hostem iudicavit, atque omnes rationes suas ita constituit, ut totis Reipublicae viribus cum eo dimicaret. Nullis precibus leniri, nullis obtestationibus retineri poterat, quod pace non esset ignavus, et bello timidus videri nollet. Igitur cum delecta manu sexcentorum equitum, et magno pariter numero nobilium, qui

ex Saxonia, Veſtphalia et Gelria adveherant, auctoqve ſociorum viribus exercitu, movit in Lithuaniam, et hoſtem qvacunqve via potuit, aggreſſus eſt, terram, dum hoſtis detrectabat certamen, vaſtitate rapinisqve foedavit. Deinde in Samogitiam ventum eſt, cedente, ut incautum, et acrius inſeqventem falleret, Sigismundo, qvi locorum peritior, ad intercludendam hoſti viam ſpectabat. Franco virium fiducia fretus, iter ſibi in ulteriorem provinciam aperiebat, longiusqve progrediebatur. Iam fortuna belli Magiſtrum eo deduxerat, ut praelium iniret, aut hoſti ſe dederet, et extrema qvaevis peteretur. Res frumentaria arctior, et ob ſtipendia perſolvenda difficultates, obiectae redeuntibus ſilvae, et occupata ab hoſtibus itinera aditusqve praecluſi, ut pro vita pugnarent, aut non inulti morerentur, admonebant. Fatale hoc tempus fuit, qvo Sigiſmundus locum nactus eſt, ubi Livonorum copias

pias deleret. Pedites eqvitesqve ad viginti millia conciſi: Magiſter acerrime pugnans mortem oppetiit, flos nobilitatis proſtratus eſt, reliqvias caeſi exercitus per vaſta loca reduxit Henricus Schungelius, de qvo paulo poſt dicam. Huius cladis fama mox pervaſit Germaniam, et perturbavit vicinos, graviqve dolore affecit: Ordini prope haec ſtrages exitio fuit.

XXXVII.

1439. HENRICVS SCHVNGELIVS BOCKENORDIVS, fortis ac perinde prudens, in ſublati Franconis locum ſuffectus, fauſtisqve Eqvitum acclamationibus exceptus, ſuorum erexit animos, et reſtituta tranqvillitate, finem certaminum fecit. At vero generalis Magiſter Ordinis Paulus Pelnicerus Rusdorfius, id permoleſte tulit, qvod Henricus iniuſſu ſuo, et contra maiorum inſtituta deſignatus eſſet: id enim improbavit ille, et reie-

cto Henrico, irritum fecit: simul eqvites officii sui admonuit, ut a iure eligendi se abstinerent, legibusqve starent. Sed hi omnino dissentiebant a Pauli rationibus, et superiorum, qvae auctore Francone acciderant, malorum memores, in sententia persistebant, et qvamobrem dicto haud audientes essent, pro illorum temporum statu se excusabant: praeterea iustas metuendi causas afferebant, et ab Henrico se non discessuros confirmabant: vereri se, ne in pristinam fortunam recidant, si iussu Pauli alius moderator sodalitatis suae constituatur: his subiiciebant, non excidisse animo, qvae Zisone electo, proposuissent: sed nihil valuisse preces, et neglectas fuisse admonitiones: itaqve hoc unum praecipitantis reipublicae praesidium fore, si Henricum retineant, virum qvippe in bello fortem, et in pace moderatum, cui in prudentia, et regendi peritia, pauci pares inveniantur: hoc autem magis eum princi-

patu

patu Ordinis dignum iudicare, qvod principe caeſo, Livonos ex ultima deſperatione erexerit, caeſiqve exercitus reliqvias ſervarit. Cesſit tandem his obteſtationibus Paulus, et depoſita offenſionum memoria, non prohibuit, qvin ſumma adminiſtratione fungeretur. Belli periculis ſe non obtulit, et controverſias, qvae erant inter Ordinem et Henningum Rigae Archiepiſcopum, aeqvitate ſedavit, renovata utrinqve amicitia, et novis officiis confirmata. Pecuniam eo nomine acceptam, in Ordinis lucro deputavit, eamqve aerario, non belli ſolum calamitate exinanito, ſed etiam fraude prioris Magiſtri expilato, intulit, ut reipublicae ſervaret, damnumqve proximum reſarciret. Sed magnum Paulo conflatum eſt odium, qvod de reſtituendo, qvem, Francone Magiſtro, ex Livonia aſportandum curaverat, theſauro commonitus, expectationem Henrici eluderet, et peculatus actionem, et impendens fa-

mae periculum declinaret. Henricus tamen indignitate commotus, in proposito agendi insistebat, nec multum aberat, qvin Eqvites, ad qvorum curam ea res pertinebat, ad signa revocaret, et iure belli experiretur. At cum per tot annos tantum humani sanguinis fusum esset, atqve haec rei restituendae ratio difficilis et periculosa videretur, acqviescere maluit, qvam arma sumendo, universa labefactare. Caute sic statuebat Henricus, et reparandi damni causam tranqvillitati publicae remittebat, ut maius damnum a patria averteret, et vitam fortunasqve civium a cladibus, et belli iniuriis tueretur. Re tandem composita, et obliterata disfidiorum memoria, Henricus in provincialis Magistri dignitate confirmatus fuit.

XXXVIII.

1442. HEIDENRICVS FINCKIVS virtute et honestis artibus ad summum Livo-

Livonicae dignitatis gradum contendit, et nullo repugnante eo pervenit, de ſententia et auctoritate Conradi Erlingshauſii, generalis Magiſtri, creatus et rite inauguratus. Qvi ſecus, atqve Magiſter Henricus, rationes ſuas iniit, et bellandi cupiditate ductus, conſtituta republica, maiorum exempla ante oculos poſuit, et ardorem, qvi in multis reſederat, excitavit, ut acceptas per tot annos clades hoſtibus redderent, et damna iniuriasqve ulciſcerentur. Reputabat, in pace et otio langvere animos, ſed vigere incitatos, et acriores habere impetus, ſi aemulatione laudis, et metu periculi moveantur. Multos obſtare ſibi, et negligere occaſionem amplificandi res ſuas: Ordinis proprium eſſe, ut Eqvites in ſacram militiam aſcripti, atqve in armis nati et educati, conſilium pro tempore capiant, et vires atqve armorum ſocietatem adverſus vicinum, et communem hoſtem coniungant. Qvare copias

parat,

parat, et arma ferri iubet, Rusſiamqve invadit, agros vaſtat, praedas agit. Hoſtis bello aſſvetus, et uſu cautus, ex inſidiis pugnat, et milites longum iter emenſos, ac labore feſſos incurſat, ac premit, nec dato praelii conſerendi loco, in latebris et locorum anguſtiis ſubſidet, atqve in palantes irruit, et Livoniam repetentes a tergo carpit, in omnes ulciſcendi occaſiones intentus. Magiſtro magni operis expeditionem conſideranti, viſum eſt, intermiſſa gentis oppugnatione, relinqvere terram aditu difficilem, et expectare tempus belli melius gerendi. Nam ſuſceptae expeditionis fruſtratio auctori permoleſta fuit, et reverſo curam attulit, ſtimulosqve admovit, ut nova ad bellum auxilia compararet. Sed altera in Rusſiam profectio nec facilior, nec felicior extitit, qvod, praeter excurſiones et agri vaſtationes, vix dignum aliqvid ab eo tentari potuit, cum hoſtis praemunitus, neqve ad reſiſtendum ſegnior, anguſtos ſaltus, et loca

inſidiis

insidiis apta insideret. Proinde sumpto a necessitate consilio, retro itervertit, praecisa debellandi spe, qvam tot tantaeqve difficultates morabantur. Lithuaniam et Samogitiam non lacessivit, sive qvod Polonos in se concitare nollet, sive qvod in tanta forfunae varietate, viribus diffideret, sive qvod sangvinis caedisqve eum satietas teneret. Inter opera, qvae struxit, ampla et magnifica numeratur merito, et collaudatur Buskenburgum, qvod non tantum eius curam, et aedificandi studium confirmat, sed etiam conditoris memoriam ad omnes posteros servat.

XXXIX.

1451. IOANNES OSTHOFFIVS, acer et pugnax, nec tamen extra fines Livoniae egressus, socios Prussos, qvorum legati contra Polonos auxilia petebant, destituit, et litibus domesticis impeditus, non modo retardavit, sed plane intermisit expeditio-

peditionem. Id contra fidem et antiqvum foedus fieri qverebatur magnus Magiſter Erlinghauſius, et viribus inclinatis, arma atqve exercitum flagitabat, praeſertim qvum urgente Caſimiro IV. nihil tutum ſatis firmumqve eſſet, et maiore vi Prusſia, qvam antehac, oppugnaretur. Res diſcordia turbatae, opes bello conſumptae, fluxa populi fides, et fortuna Ordinis adverſa augebant metum, nec magnam reſiſtendi ſpem dabant, niſi Ioannes acceſſu ſuo partes confirmaret. Nihil tamen auxilii ſubmiſit, neqve extra Livoniam arma tulit, qvamvis id patriae caritati deberet, maxime cum de ſumma rerum ageretur. Atenimvero is Silveſtro, Rigenſium antiſtiti, bellum intulit, et expugnata arce Kokenhuſa, invitum retinuit Antiſtitem: deinde cum ſacri Rigenſis collegii patribus, et *Canonicis* transegit, neqve alia redintegrandae pacis ratio iniri potuit, qvam ut ſua et communi Antiſtitis cauſa, iure per

From-

Fromholdum qvaesito, et Karoli IV. ac Pontificis Maximi conceſſu indulgentiaqve firmato cederent, atqve adeo inſignem poteſtatis et iurisdictionis partem, qva ad vrbem Rigam ſpectabat, in Magiſtrum Ordinis transferrent. Qvae transactio in Livonicos annales relata, et a loco, ubi inita eſt, nomen ſortita, Kerkholmienſis appellatur. Caeterum res Prusſica ea tempeſtate vehementer afflicta eſt, et eo iniqviorem fortunam ſubiit, qvo tardiora ad bellum auxilia Magiſter comparavit. Naves, qvas ad arma, et annonam ſubvehendam inſtruxerat, priusqvam appellerentur in Prusſiam, in brevia ſinus Curonici impactae ac demerſae, et copiae ſubſidio miſſae, cum in Samogitiam veniſſent, oppreſſae, atqve allato ſtragis nuncio, omni ſpe auxilii adempta, generalem Magiſtrum, valde perturbarunt, eumqve ad duram paciſcendi neceſſitatem adduxerunt. Per id tempus in ſummo Magiſtratu erat

Ludo-

Ludovicus Erlinghauſius, qvi deſertus ab amicis, et deſtitutus a ſociis, et accepta novisſime ad Choiniciam clade, amisſis reſiſtendi praeſidiis, in fidem clientelamqve ſe Polonis dedit. Ioannes neglecta Ordinis auctoritate, plus domi audacia et impetu, qvam conſilio peregit, nec modo non bene de ſociis, ſed etiam male de hiſtoria et poſteritate meritus eſt, qvando tabulas publicas, in arce Kokenhuſae repoſitas, non ſine Livonorum indignatione exusſit.

XL.

1474. IOANNES VOLTHVSIVS magis togae, qvam belli negotiis occupatus, atqve in eo agendi genere nomen exiſtimationemqve adeptus. Qvi tametſi officio ſuo non defuit, rempublicam ſatis auctam ratus, conſilia ad eam tranqville regendam et conſervandam retulit, tamen non eum, qvem ſperavit, conſilii exitum habuit, qvippe turbis implicitus,

plicitus, et fortuna res variante, ne ſuorum qvidem fide tutus. Nam leges Ordinis licentia qvorundam perfregerat, nec retundi audacia poterat, qvae nixa viribus, omnia armis patefactura motuum auctoribus videbatur. Ille nihilominus ad curam patriae ſe revocavit, et, ut locus, tempusqve poſtulabat, utilitati Ordinis conſulens, iram doloremqve tenuit, neqve ab hac moderatione diſcesſit, cum in repentina calamitate infeſti proceres ei inſultarent. Creditum eſt, fortunam Ordinis ab eo tempore converſam, qvo eum depreſſit invidia, et in aliena poteſtate collocavit. Sic ipſa divina ultio novis deinde calamitatibus et cladibus, qvae captivitatem et mortem eius conſecutae ſunt, caſtigavit perfidiam, et teſtimonium integritatis, ac ſolatium in malis, et in rebus adverſis praeſidium reliqvit. Qvo enim erat animo, contumeliam pati maluit, qvam inteſtinum fovere bellum, et inſpectare gladios, ex cae-

de civium cruentos. Captus enim, Vendamqve perductus, neqve ab adversa factione dimissus, leniendi doloris remedium in patientia habuit, bonaeqve mentis conscientia se consolatus, in custodia finiit vitam. Famae nominisqve monimentum posteris praebuit, extructa arce, qvae Tolsburga dicitur, et Viriae tractu continetur.

XLI.

1477. BERNARDVS BORGIVS, distracto in contrarias partes Ordine, a qvibusdam electus, pro adipiscendo Magistratu acrius contendit, et magnis eorum, qvi aemulos se atqve inimicos Ioanni ferebant, viribus adiutus, dignitatem et potentiam firmavit. Qvare in tabulis, qvibus gratia et beneficiis suos, atqve Ordinis clientes auxit, formulam retinuit, qva generalis Magistri auctoritatem, turbulento rerum statu, agnovit, et potestate ab eo con-

conceſſa, atqve circunſcripta, expedire ſe haec talia negotia teſtatus eſt, qvod non dubiam mihi fidem facit, Bernardum, ſuffragante totius Ordinis capite, creatum, maiori deinde conatu ſe excitaſſe ad aemulum depellendum. Haud eqvidem ſe demiſit in luxuriam, ſed praeliis ac periculis ſe audacter obiecit, et virium fiducia ſe evexit ſuper fortunae ſuae modum. Genus vitae laborioſum delegit, et ab otii ac pacis artibus abhorrens, maximo cum exercitu Ruſſiam petiit, atqve occaſionem pugnandi nactus, ingentem vim hoſtium proſtravit. Hoſtes ad cladem ulciſcendam exciti, Livoniam graviter afflixerunt, oppida et pagos ferro ac igni longe lateqve vaſtarunt. Fellinum impetu captum, et funditus everſum, Torva exciſa et incenſa, ager direptus, inſtrumentum bellicum in Ruſſiam deportatum, tota deniqve regio crudelitati expoſita, et abſente aliqvandiu Magiſtro, praedae hoſtis relicta. Poſt haec in Livo-

niam rediit, et refecto ſupplementis exercitu, oppugnavit Rigae Antiſtitem, et captum coniecit in carcerem: non mitius accepit Ordinem *Eccleſiaſticum*, qvem nec muneris ſanctitas, nec loci religio ab iniuria defendit. Rigam ſubigere non potuit, etiamſi cum toto exercitu ad urbem accederet, ſummoqve impetu moenia verberaret. Eodem tempore ad belli ſocietatem accerſivit Simonem Borgium, Revaliae Antiſtitem, et generis propinqvitate coniunctum, ſed obſeſſi conſtantia urbem ſervarunt, et Ordinis arcem, qvae in urbe erat, ſolo aeqvarunt, mox, Dunemundam, fortuna inceptum adiuvante, expugnarunt. Qvae res ut dolorem Magiſtro attulit, ſic non minorem ei invidiam conflavit. Sixtus IV. Pontifex ipſe commotior, Burchardo ſuccenſuit, eiqve et ſodalibus, et Simoni expeditionis ſocio, ſacris interdixit. His rebus tandem Magiſtratus Bernardo abrogatus eſt, ut omnis nocendi facultas

cultas turbulento Ordinis principi eriperetur, divinaeqve ultionis exemplum proceribus, inani ſpe dominandi elatis, proderetur.

XLII.

1486. IOANNES FREITAGIVS Loringhavius, propter magnam virtutis et probitatis opinionem, in locum Bernardi ſubleCtus eſt, qvi poſtqvam, decreto Vendae facto, ornamenta et inſignia Magiſtratus ſumpſit, pacis ſanciendae cupidus, ad obliterandas ſuperiores offenſas conſilium, et adiumentum attulit, cumqve res non continuo ſuccederet, arreptis armis, Ordini officium, et defenſionis curam declaravit. Non caruit difficultatibus negotium, et bello rurſus cauſam praebuit, cum Ioannes non ad Rigae muros, ſed ad Treidam caſtra poneret, magnaqve virium contentione cum Rigenſibus decerraret. Rigenſes profligato eius exercitu, modica victoria contenti,

non de perſeqvendo hoſte, ſed de finibus tuendis, et de retinenda praecipue navigationis libertate cogitabant. Neqve ignorabant periculum, qvod intercepta a Magiſtro Parvalcka inſula, vrbi, et florentibus mari commerciis immineret. Accedebat eo damnum ex proxima velitatione acceptum. Ita vero cives adverſo caſu fracti, opes ſuas imminui, commercia navigatione impedita labefactari, milites, metu diſciplinae ſolutos, licentia depravari, ſe ipſos qvoqve, niſi praeveniant, in libertatis diſcrimen adduci qverebantur. Ergo leniter agi placuit, propoſitis de pace conditionibus, qvas ex aeqvo et bono tranſigebant Livoniae praeſules, et maritimarum Germaniae vrbium legati. Inter hos convenit, ut Rigenſes Dunaemundam Ordini redderent, et arcem ſplendidae domui ſimilem, ſed operum munitionumqve expertem, in vrbe denuo aedificarent: qvae per licentiam ſuperiorum temporum,

utrin-

utrinqve feciſſent, deinceps, renovato foedere, omitterent, et ſemina veteris odii, ex prioribus bellis reſidua, penitus tollerent, ac mutuas deniqve iniurias perpetua oblivione delerent. Sub haec tempora Ioannes Magnus, Ruſſorum, qvos Moſchos nominant, regulus, ad magnum Ruſſiae imperium aſpiravit, et per vim, perqve ſummam iniuriam plerosqve vicinos oppreſſit, et ſub iugum miſit: deinde a Ioanne Magiſtro, ut propter ſuos Ruſſos, Revaliae carcere et morte mulctatos, ſenatum Revaliae ſibi dederet, additis minis, poſtulavit: verum id ſe facturum negavit, et poenae duobus facinoroſis irrogatae iuſtitiam, ſenatusqve Revalienſis innocentiam, Moſchi iram comminationemqve non ſubveritus, defendit. Sed omnis defenſio respuebatur, et excuſatio Revalienſium non leniebat magni ducis animum, ſed magis exaſperabat.

XLIII.

1495. VALTERVS PLETTENBERGIVS, specie oris eximia, robore corporis valido, aetate rebus matura, apud omnes gratiosus, fortis, et contra incertos eventus fortunae firmus, imprimis rerum, qvas gesſit, peritus, et alta mente, atqve acri consilio praditus, magnum decus in familiam ſuam intulit, et praeter caeteros convertit animum in curam Reipublicae, ut omnes ſcirent, qvo iam Magiſtro, qvo auctore boni moris, qvove duce belli uterentur. In conſiliis tempus captabat, et opportuna inſidiis loca diligentisſime obſervabat, aditus regionis cuſtodiebat, arces praeſidio firmabat, rempublicam disſidiis et factionibus perturbatam, concordia et bonis artibus conſtituebat, praeſules Livoniae pacatos, et ſibi amicos, qvam infenſos eſſe malebat, licentiam luxuriamqve compeſcebat, et emendatis moribus diſciplinam, purga-

purgatis itineribus commercia inſtaurabat, et nihil cuiqvam reliqvi faciebat. Prima et ſumma eius cura ſpectabat ad pacem, cum vrbe Rigenſi conſtituendam, qvae res poſtqvam bene proceſſerat, domi tutus, facultatem nactus eſt Dunaemundae accuratius muniendae, et Vendae, ubi ſedes Magiſtri erat, novis operibus cingendae. Deinde non deſinebat hortari Ordinem, ut omnes in eum cooptati, et ſacram militiam profeſſi, amicitia et fide ſocietatem colerent, nationumqve nomina ſine invidia et aemulatione uſurparent, neqve alii alios aſpernarentur: ambitionem fugerent, et in aſſignandis dignitatibus aeqvitatem pro regula haberent: Francos, Svevos, et Boios in Prusſia, Saxones Veſtphalosqve in Livonia, concordi ſodalitate, honoribus perfungi iuberent, adiectis in eos poenis, qvi contra has leges facerent, et odio, ac repugnandi ſtudio, ſe depravari paterentur. Cum hanc viam iniiſſet Magiſter, et ſodales per

caritatem patriae, perqve ſuam ipſorum ſalutem obteſtatus eſſet, negotio feliciter confecto, Ordinem opibus et clientelis firmabat, et parſimonia ac prudenti annonae diſpenſatione, bonisqve regendi artibus inſigniter locupletabat. Non multo poſt Ruſſi infeſto exercitu ingreſſi, fines Finniae vaſtarunt, ſed cum ignominia et clade repulſi, multis ſuorum amiſſis, aliqvandiu qvieverunt. Poſtea collectis denuo viribus, ducto per Careliam, et Tarvaſtiam agmine, Finniam denuo incurſarunt, et cum nemo repente obſiſteret, edita ingenti hominum ſtrage, ex illa regione exceſſerunt. Sveci, conductis ad defenſionem copiis, cum hoſtem, qvi evaſerat, adoriri non poſſent, e Finnia egreſſi, Ivanogrodam, qvam Ruſſi nuper extruxerant, ſummis viribus oppugnatam, impetu ceperunt. Haec e regione Narvae ſita, vicinis, et maxime Livonis metuenda, velut iugum in cervicibus haerebat, qvam Sveci aeqva

aeqva pactione Plettenbergio offerebant, et propter res domesticas, ad reditum in patriam se comparabant. Finium causa id fieri expediebat, sed amor pacis Magistro svadebat, ut suas existimaret partes, non irritare Moschos, et refectis arcium Livonicarum ruinis, incolumem servare statum, et veteres tueri fines. Sveci igitur deducto praesidio, et aeqvatis solo munitionibus, in Finniam reversi, nihil in hostico moliri voluerunt. Moschi cognito eorum discessu, confestim ad reparandam arcem veniebant, materiamqve ad opera, et munitiones necessariam comportabant, ex eaqve deinceps excursiones faciebant, et maximum Narvae damnum inferebant. Magister tametsi perfidiam indigne tulit, tamen dissimulavit iniurias, et in praesenti fortuna acqvievit. At cum hostis ferox, et recepta arce elatus, crebras inde eruptiones faceret, et licentia militari subnixus, agrum impune diriperet, una

spes

ſpes in armis tuendae ſalutis erat. Mox conſcripto milite, exercitum cogebat, et foedus cum Alexandro, magno Duce Lithuaniae inibat, neqve aliud calamitatis remedium eius occurebat. Dum haec agit, tempusqve in deliberatione conſumit, Alexander, cuius voluntatem ſibi devinxerat, omnium ſuffragiis accerſitur ad capeſſendum Poloniae regnum. Neqve is moram facit, et fidem Reipublicae obligat, atqve in regni faſtigio, qvod frater eius Ioannes Albertus vacuum reliqverat, collocatur. Nova iam ſolicitudo animum Magiſtri diſtinebat, qvod vicinus, et potens foederatus, longius ab eo diſiunctus, et gravibus Poloniae negotiis implicitus, non admodum prodeſſet, neqve tempeſtivum ferre auxilium poſſet. Pacem a Moſchis petere, nec perſona, ipſius dignum, nec ſalva conſtantia, integrum videbatur. Praeſertim poſt tot tantasqve illatas a Moſchis iniurias, qvas fumantes villae, et edita in

agro

agro Narvenſi, et Torpatenſi crudelitatis exempla paſsim oſtendant: ab his ergo miſeriis Livoniam armis vindicandam, et ſive honeſta morte, ſive inſigni victoria ab imminente ſervitutis periculo liberandam: hoſtes in reipublicae perniciem armatos, ne impune ſaeviant, repellendos: iuſtam imprimis cauſam ſpectari in bello, qvod etſi a ſe non indictum ſit, tamen iam decretum eſſe, ſcire omnes, ne ipſos qvidem Moſchos ignorare, et hoc magis inflammare animos ad ſigna patriae inferenda: hos ſodalitati Livonicae infeſtos, vitae fortunisqve moliri exitium, qvibus ut armati occurrant, et graſſandi licentiam compeſcant, per ſalutem patriae admoneri: ſe qvidem hoſtium apparatibus fateri imparem, et difficile ac periculoſum providere bellum, ſed vigore animorum, et virtute ſuas copias ſuperiores fore: adhaec iuſtitiam facere militibus animos, et fortunare belli conſilia, Numenqve divinum

pu-

pugnantibus conciliare. Si ea res multum difficultatis et periculi habeat, ſalubria tamen ad cavendum exempla, et occaſiones ad praelia opportune conſerenda non defuturas. Qvare melioris cauſae fiducia erectus, parabat bellum, et conficiebat exercitum, qvem more belli inſtructum in Ruſſiam ducebat, et diſſipatis, in qvas incidit, cohortibus, locum praelii circumſpiciebat. Ruſſi ſecundo ſucceſſu tumidi et feroces, non ſegnius in aciem prodibant. Hos ſubito adortus eſt Plettenbergius, et cum primam aciem duceret, laetus atqve alacer in eqvitatum, qvo praecipue valebat hoſtis, invectus, exiguo temporis ſpatio, eqveſtres turmas disiecit, et fugientes ad veſperam usqve inſecutus eſt: plus celeritate, qvam viribus effecit, et Ruſſici nominis ferociam fregit: tum ſigno dato in caſtra reverſus, ac praeda potitus, magnam vim telorum, et copiam inſtrumenti bellici, atqve impedimenta cepit. Hoſte

ſte caeſo et fugato, munere cauti ducis functus eſt, nec tarditate et mora fructum victoriae corrupit. Arces vicinas expugnavit, et diripuit, Ruſſorum agmen delevit apud Ivanogrodam. Sed enim vero omnia in perniciem hoſtis parantem, fortuna avertit, et morbus caſtra invaſit, ac felicitatis curſum interrupit. Itaqve ut ſervaret milites, aegrosqve curaret, a mente et conſilio perſeqvendi hoſtes deſiſtebat, et in Livoniam reductos, hybernis reficiebat. Ruſſi ſubſidiis aucti, novam expeditionem parant, et totis viribus connituntur, ut par pari referant, et laborante ex morbis hoſtili exercitu, Livoniam praeſidio nudatam pervagentur ac vaſtent, atqve oblata ulciſcendi occaſione utantur. Inde in Torpatenſem agrum effuſi, diripuerunt oppida, et pagos exuſſerunt: pari ſaevitia vaſtarunt multos Livoniae tractus, et inſignes praefecturas Mariaeburgenſem, Tarvaſtenſem, Fellinenſem, Virienſem, et plerasqve alias,

ab

ab auxiliis et rebus omnibus imparatas. Vix erat, qvi obsisteret Rusis, et irruentibus se obiiceret, aut viam intercluderet, et fines custodiret. Qvos morbus non absumpserat, eos crudelitas hostium sustulit, nec Magister belli munia obire, neqve ad signa milites convocare potuit, valetudine impeditus. Hinc, caedibus et incendiis nullo prohibere auso, saevitum est, magna pars incolarum interiit, neqve insontibus pepercit furor. Violati sacerdotes, pollutae stupris virgines, viri militiae idonei occisi, aut capti. Qvadraginta millia hominum, ut fama tulit, desiderata sunt, nec tamen satiata est libido hostium, qvi irati frementesqve discesserunt. Illud Livonis in tanta calamitate percommodum accidit, qvod hostis arces, natura loci tutas, et in praealtis collibus extructas, aut amnibus paludibusqve impeditas, in potestatem suam non redegit, neqve in hostico potentiam suam firmavit. Nam aliqvanto post con-

convaleſcens Plettenbergius, reliqvias aegrotantis, et per arces, munitaqve loca diſtributi exercitus iterum collegit, et Livonos vaſtitate ac miſeria perculſos denuo evexit, neqve illos magis, qvam milites, e morbo recreatos, ſupplementisqve auctos, voce et exemplo ad arma Ruſſis inferenda, dinumeratis ante ſtipendiis, cohortatus eſt, et praeter nova eqvitum peditumqve auxilia, manum in Eſthonia comparavit, evocatis qvoqve ruſticis, atqve ad uſum et diſciplinam belli inſtitutis. His inſtructus copiis, transiit in Ruſſiam, et Plescoviam usqve progreſſus, curavit, qvae bello uſui forent. Ibi paulum conſiſtens, de formidoloſo hoſtis apparatu, ex duobus captivis cognovit. Neutiqvam ea re perturbatus, ſodales et militum praefectos ad ſe vocat, et qvid facto opus ſit, rebus ante proviſis, admonet, ſervatoqve ordine, et cuſtoditis caute itineribus, pergit. Erant numero ſuperiores Ruſſi, et paucita-

te Livonorum contempta, pugnae avidi, qvibus occurrebat Magiſter, nec modicis diffidens viribus, nec hoſtem ſpernens. Educit in aciem copias, et machinas bellicas ac tormenta diſponit, utili conſilio, et belli ratione ſubnixo. Pilae enim et globi in hoſtes coniecti, inſigne momentum ad victoriam habuerunt, qvando Magiſter in Ruſſos, eius militiae rudes, et metu damnoqve illato turbatos, repente facto impetu, disiecit cohortes in prima acie collocatas.. His fatigatis, et clade debilitatis, Ruſſi integras ſubmittunt, et viribus confiſi, maiore vi arma expediunt, atqve inſtaurato praelio, non repellere tantum, ſed opprimere Magiſtri copias ſtudent, id futurum rati, ſi Livonos multitudine ſua circundatos, et callide circunventos intercludant. Magiſter Ruſſici moris gnarus, mira celeritate et fiducia, nec ſine gravi vitae periculo, ſe in confertiſſimum agmen infert, et aciem Ruſſorum tertia vice

per-

perturbatam, ſumma vi diſſipat, atqve in fugam vertit. Qvae victoria vires Moſchorum fregit, et Baſilium, Ioannis filium, in pacis petendae ſententiam adduxit, Magiſtro non repugnante, et ancipitem pugnam, ex qva fortuna Ordinis pendebat, recogitante. Nam arcendi potius, qvam inferendi belli ratio apud eum valuit, atqve hoc minus difficilem ſe praebuit, qvo acerbior ei recordatio fuit vexationum hoſtilium, continentiumqve damnorum. Pacem honeſtam, et non precariam, nec libidini illius gentis obnoxiam, rebus Livoniae opportunam, et cum dignitate ſua coniunctam, conſilium vero perſeqvendi belli, et in ulteriorem Moſchoviam transferendi, periculoſum eſſe et arduum, praeclare intelligebat. Proinde tempus per varias confictasqve cauſas non extractum eſt, ſed rebus tempeſtive deliberatis, pactio inter utrosqve facta, ac iureiurando confirmata, in qvinqvaginta annos firma et

ſtabilis manſit. Rebus ad hunc modum compoſitis, et nova pace conſtitutis, mores Eqvitum diuturna qviete mutati ſunt, licentia ac libidine hominum, ſecura pace fruentium, qvi conditionis ſuae obliti, fortunam ſecundam ferre non poterant, et bonis omnibus affluentes, ſpe impunitatis creſcente audacia, diſciplinam, et priſca inſtituta contemnebant. Qvas vitae corruptelas providebat Magiſter, et emendare cupiebat, atqve huius rei gratia praecipuos Ordinis proceres a voluptatibus ad ſacram peregrinationem revocabat, multasqve novas leges, praeſertim ſumptuarias, et ſpeciatim propter nuptias, conſtituebat. Non enim ſeverus ultor, ſed in omnibus officii partibus ſedulus hortator, boniqve moris auctor, et diſciplinae civilis ac militaris aeqvus moderator, ac veluti communis Magiſter fuit. Vetus caſtellum ad Dunae oſtium eo minus neglexit, et ut munitius eſſet, conſilio et cura effecit.

Ven-

Vendam novis operibus ſeptam reliqvit, Ruſſorum plerasqve arces, arcendae populationis cauſa, funditus evertit, Oſtroviam ferro et igni vaſtavit, ſed a Novogardiae obſidione avocatus, Ivanogrodae ſuburbium exuri iuſſit, ut praeſidio arcis exterrito, copias ad certaminum praeliorumqve caſus ſervaret. Inde pavor incuſſus, et clauſo cuſtodiis militaribus aditu, non locus evagandi datus militi, excurſionibus aſſveto. Hoc enim in praeſentia tutius, et ad rei ſummam utilius exiſtimavit. Cum haec omnia curaſſet prudenter et confeciſſet, rationem evehendi Ordinis iniit, et ſuo atqve Ordinis nomine, cum Magiſtro generali, et Teutonica ſodalitate pactus eſt, ut perſoluta pecuniae ſumma, ab eius poteſtate et imperio liber deinceps exemptusqve eſſet. Poſtea auſpicio Caroli V. in tabulas Principum relatus, et nullo interiecto, cum ditione Germanica coniunctus, ſummam prudentiae fortitudinisqve laudem

dem retinuit, et per omnem vitam, etiam turbata religionum disſidiis Livonia, conſtantisſime eſt tutatus.

XLIV.

1535. HERMANNVS BRVGGENEVS, cognomine Haſenkampius, moderato princeps animo, integritatem in patriae negotiis, aeqvitatem in iudiciis, innocentiam in vita et moribus praeſtitit, a ferocia militari, et a poenarum acerbitate alienus, et ideo lenitate magis, qvam ſeveritate in principatus adminiſtratione uſus. Difficilimo tempore, et coortis ſeditionibus, non impetu, ſed conſilio remedium qvaerebat, maiore tamen conatu, qvam effectu, qvia in tempora incidit, qvibus vitia, virtutum affinitate, populi animos decipiebant. Rempublicam ſumptibus exhauſtam vix ope et auctoritate ſua ſuſtentare potuit, et litibus inter Ordinem eqveſtrem, et Revaliam componendis adhibuit idoneos

neos et intelligentes, et primae nobilitatis viros. In his erant Ioannes Monnighuſius, Antiſtes Oeſilienſis, Ioannes Reckius, et Rembertus Scharenbergius, qvi *Commendatorum* titulo Fellini et Revaliae curabant, qvibus hoc munus impoſuit, ac tempeſtive delegavit. Revalienſes Principi fidem teſtati, habito cum delegatis colloqvio, antiqva conſvetudine, avitis privilegiis, et iure Lubecenſi Imperatorum auſpiciis dato, et ad iſta usqve tempora continenter ſervato, nitebantur. Qvam conſtantiam illi pervicaciam interpretati, reiectis Revalienſium poſtulatis, non iniqva ſe perere putarunt: Revalienſes contra in ſententia obfirmati dixerunt, eos facere contra maiorum conſvetudinem, alioqvin ſe honori Eſthonicae nobilitatis favere, dummodo id fieri poſſit per leges, et publici commodi rationes. Deinde acerbitatis invidiam amovebant, et lata in Ioannem Vxkulum ſententia, nihil praeter et

contra iuſtitiam ſe feciſſe docebant. Multa qvoqve de commerciis in medium afferebant, et argumentis confirmabant, praecipuum civitatis ius atqve emolumentum eſſe in portu: hoc non prohiberi nobiles, qvi praedia et clientelas in Eſthonia poſſideant, ſed priores ſibi partes in eo tribuendas, qvi in eum conſervandum et reficiendum ſumptus facere teneantur: tum non impediri, qvo minus frumentum, qvod venale habeant, exportandum curent, ſi qvidem id ſalvis civium privilegiis fiat, et vendendi opportunitas expectetur. De ruſticis non repugnare, qvin fugitivos, et ex agro illorum ſe propipientes, ad ſervitia revocent, et iure ſuo longinqvitate temporis confirmato utantur. Haec inter diſſidentes acta, et volente mitis ingenii Magiſtro, compoſita, molliebant iras, ſed odia partium non extingvebant, nec multo poſt novae inter ipſos cives diſcordiae oriebantur, et crebrae multaeqve lites ac factiones

ctiones in aliis qvoqve Livoniae oppidis, aemulatione mutua, et animorum in religionibus dissentientium contrariis studiis, excitari caeptae, rempublicam intestinis malis affectam perturbarunt, et tandem omni tranqvillitate sublata, praecipitem egerunt. Magister cum nascentibus malis per se solus obsistere non posset, primus omnium sibi delegit *Adiutorem* Ioannem Reckium, eumqve suffragatione Ordinis constituit, qvod factum est, qvatuor ante annis, qvam e vita excesit, morbo gravi et pestilente absumptus.

XLV.

1549. IOANNES RECKIVS, priori Magistro officiis et consvetudine coniunctus, et propter virtutes, ac optimos mitissimosqve mores commendatus, atqve eam ob causam *Adiutoris* dignitate auctus, in constituendis Livoniae rebus, nullum laborem recusavit.

Sed optimis eius conatibus invidit fortuna, cum peſtilentia ingraveſceret, et respublica, cuius magna hactenus apud vicinos gloria fuerat, prope ad vaſtitatem redigeretur. Praeterea multae et turbulentae diſſenſiones exortae ſunt, qvae diſtraxerunt animos, et tumultibus occaſionem praebuerunt. Haec vero mala ſerpebant indies, longiusqve progrediebantur, qvae corrigere non potuit, incitata ad motus multitudine, qvam refrenare armis non audebat. Qvo praecipitantis reipublicae ſtatu, facile intelligebat, non res conſiliis, ſed conſilia rebus obſeqvi debere: alioqvin futurum, ut ei certamen cum civibus eſſet, qvos, ut natura manſvetus erat, multis benevolentiae ſignis ad concordiam invitabat, et in procuranda religione indulgebat, ac ſapientis ducebat, permittere cum ratione interdum, qvod impedire non poſſet, ne, ſi cogeret, magis commoveret. Adeo erat pacis amans, et ius aeqvabile colebat,

lebat, neqve ira et odio perſeqvebatur cives, qvantumvis diverſum ſentientes. Ceterum ius, qvod per ſuperiora pacta qvaeſitum, in vrbe Riga obtinebat, non modo non ſinebat infringi, ſed ſummam qvoqve in eo tuendo cautionem ac diligentiam adhibebat. Verum haec cogitantem, ſeduloqve curantem, mors eripuit, cuius ſucceſſor non minorem curam geſſit, et re explicata atqve confecta, acqvievit.

XLVI.

1551. HENRICVS GALENVS prudenti conſilio, domi iuſtauravit concordiam, et pro dignitate Ordinis conſervanda, nihil laboris praetermiſit, maximeqve id ſpectavit, ut auctoritate Imperatoris interpoſita, amoveret lites, et Livoniae praeſules in eadem fortuna coniungeret magis et conſociaret. Cum hoc ita, ut volebat, perfeciſſet, et eam, qvam tempora

pora poſtulabant, rationem iniiſſet, ſine mora et mature cogitare coepit de induciis, cum Ioanne II. Moſchoviae dominatore prorogandis. Hic enim, captis Caſani et Aſtracani regnis, eam conſecutus erat potentiam, ut ingens vicinis periculum conflaret, neqve obſcura proferendi dominatus indicia proderet, neqve diſſimulanter et tacite, ſed palam et aperte alienatum a Livonis animum declararet. Idcirco miſſa ad eum legatione, confirmare amicitiam, et continuare inducias voluit, aſcito in ſocietatem praeſule Torpatenſi, cuius in ea praecipue ſalus agebatur. Exponebant mandata Ioannes Bockhorſtius, et Otto Grothuſius, qvi nomine Magiſtri aderant: praeter hos Volmarus Vrangelius, et Dietericus Kaferus, auctoritate praeſulis illuc profecti. At Moſchus rerum proſpere geſtarum ſucceſſu elatus, cupiditate exarſit Livoniae occupandae. Qva de cauſa duras, et Livonis iniqvas condi-

conditiones tulit, et tributum ut ſibi penderent, ſuperbe poſtulavſt. Erant per id tempus magnae et florentes Livonorum opes, ac diuturna pace confirmatae, ſed belli artes longo temporis intervallo exoleverant, et proceres inſveti armorum, cives otio molles ac luxuria, ab inſtaurando bello ahhorrebant. E diverſo Moſchi, bello cum Scythis in Aſia geſto, elatiores facti, et propter veteres novasqve iniurias Livonis infenſi, nullis obteſtationibus atqve officiis deliniri potuerunt. Ad odium, ex ſuperioribus bellis conceptum, accesſit haec gravis offenſio, qvod Livoni contra amicitiae et vicinitatis iura feciſſent: ſpeciatim qvod Revalienſes Moſchorum commercia impediviſſent, multosqve mercatores fortunis evertiſſent; Rigenſes autem et Torpatenſes, dirutis eorum templis, ſacra turbaſſent; qvod omnes deniqve nationis ſuae commodis obſtitiſſent. His rebus ſciebant, irritatum eſſe Ioannem Baſilidem, in

qvo

qvo praeter insitam proferendi imperii cupiditatem, animus erat bellicosus et ferox, nec placatu facilis et saevus. Providebat, Livonos in periculis timidos, et in consiliis langvidos, atqve in rerum apparatu segnes. Nam bello per qvinqvaginta annorum inducias dilato, a more et disciplina superiore discesserant, et in spem pacis erecti, omne tempus in tractando induciarum negotio conterebant, neqve idoneis belli subsidiis, contra repentinos impetus se muniebant, ex eaqve re magnam postea calamitatem accipiebant. Sic evenit, ut Moschi in tributo exigendo pertinaces, nihil de postulatis remitterent, inducias autem in qvindecim annos prorogarent, et simul componendae intra triennium controversiae conditionem ferrent. Magister, cum transigi non posset, novis implicitus difficultatibus, reputabat periculi magnitudinem, et viribus domesticis diffisus, patrocinium et defensionem in

Svecia

Svecia qvaerebat. Ibi Gustavus I. de foedere appellatus, non recusavit societatem belli, nec deesse voluit vicinis, communi periculo, ne sodalitas opprimeretur, inductus. Aliqvanto post Moschi in Finniam effusi, sed a Rege belli perito et forti, cum copiis egresso, caesi sunt, atqve in fugam coniecti. Qvae res admonebat Magistrum, venisse tempus frangendae hostis superbiae, sed per varias, qvas inferebat, moras, et excusandi rationes, occasio, qvam fortuna dabat, amissa, multum Ordini splendoris detraxit, et perfidiae suspicionem praebuit, qvod foederis capita non impleret. Ille tamen excusans, non deserendi Regis animo, sed necessitate seipsum atqve Ordinem conservandi, id factum dicebat. Lites enim et novae discordiae, inter eum, et Rigae praesulem excitatae impediebant, qvo minus fides responderet promissis, et Regi ex foederis formula auxilium mitteretur. Sed altius haec in

Regis

Regis animo insederant, qvi servari foedus, et promissa praestari cupiebat. Eodem tempore Sigismundus Augustus Poloniae Rex, qverebatur Gvilelmum Rigae Archiepiscopum, a Magistro illiberaliter et indigne habitum, qvod sua et Principis cognati causa graviter tulit, et ut pacta Volmarienſia rescinderet, magnopere voluit, ac hortatus est: illa esse iniqva, et pertinere ad obterendam Archiepiscopi dignitatem, qvae non modo non iure valeant, sed pristinam qvoqve societatem Ordinum Livoniae dissolvant: qvare ut irrita fiant, ad famam eius, et salutem publicam plurimum referre: neqve aliam fore periculi vitandi rationem, qvam ut salva sit cuiusqve auctoritas, et rata maneat electio novi *Adiutoris* Christophori Mecklenburgensis: hoc aeqvum videri, et a se vicinisqve Regibus probari, cum propter illius summas necessitudines et affinitates, tum ob maiorum merita, et virtutes Principis

pasſim cognitas, ac munere tali dignas. Haec Magiſtro expoſuit Caſpar Lanskius, et prolixe de Regis voluntate commemoravit. In eandem ſententiam locuti ſunt legati Alberti Marchionis Brandenburgici, et Ioannis Alberti, Mecklenburgienſium ducis. Omnia officioſe pollicitus, integram ſalvamqve concordiam, ſummo ſe ſtudio conſervaturum affirmavit: Regis ſententia ad Ordinem, et reliqvos, qvorum ea res interſit, relaturum. Aliqvanto poſt conventus Volmariam indictus eſt, qvorſum delegatos miſit Archiepiſcopus, et ut ſaluti communi conſulerent, Magiſtrum, Ordinesqve reliqvos obſecravit. Sed Magiſter, durioris conſilii auctor, pactis Volmarienſibus ſtandum eſſe ſvaſit, et pervicit. Summa decreti fuit, Gvilelmum communibus ſuffragiis patriae hoſtem iudicari tantisper, dum ab animo retinendi *Adiutoris* deſiſtat. Qvod alieniore animo accepit Gvilelmus, et ad abolendam

Magiſtri iniuriam conniti coepit. Verum conatus iſte fefellit Gvilelmum, intercepta, qvam auxilii petendi cauſa ad Ducem Prusſiae ſcripſerat, epiſtola, qvae nomen Archiepiſcopi, veluti bellum molientis, omnium odio et invidiae ſubiecit. Archiepiſcopus de nova iniuria conqveſtus, ſe purgabat Livoniae Ordinibus, et tantum defenſionis gratia, auxilium petiiſſe ſignificabat: alioqvin nihil ſimulata mente, aut dolo malo egiſſe, nec qvenqvam ſocietatis iure coniunctum oppugnare voluiſſe, confirmabat: pactis Volmarienſibus ſe non adverſari, ſed qvid de iis Germaniae Principes ſentiant, et confectum velint, in medio relinqvere, neqve in diſceptationem vocare: Rigenſes, ſi recte faciant, nec male in ſe cogitent, in bonorum ac fidelium civium loco et numero habere, eosqve benevolentia complecti: illos autem, ut fugiant, commonere, qvi artificio et gratia ipſos pervertere ſtudeant, et diſcor-

dias

dias seditionesqve in civitate moliantur: ex suis qvemqve factis aestimare, nec ob qvasdam iuris disceptationes, statim armis dimicare, rebus tamen ad repellendum bellum idoneis qvin se fulciat, nulla iuris specie prohiberi. Haec, et alia non obscure dirigebantur ad Magistrum, qvi contra pacem publicam, contraqve ius gentium cursori publico, ad Albertum fratrem misso, manum iniecerat, et epistolam non usitatis literarum notis scriptam resignaverat, atqve invidiosis de ea sparsis rumoribus, conflatisqve suspicionibus, animum Gvilielmi laeserat valde et exulceraverat. Qvae res magnos deinde excitavit motus, qvos stella cometes in coelo praenunciare credebatur. Magister, qvamvis senex, nullam senescentis odii significationem dabat, neqve a sententia avocari se passus, aliorum qvoqve odia et aemulationem adversus Gvilielmum incitabat, et sensim belli causa antea se comparabat, acpræmuniebat.

Conſcripris igitur cohortibus, et tra-
ductis ad ſuam ſententiam, ac ſocieta-
tem Livoniae praeſulibus, in conſilio
ferventer ſuſcepto perſeverabat Ma-
giſter, bellumqve apparabat, ſed pro-
pter aetatis incommoda, et negotio-
rum, qvae incidebant, multitudinem,
auxilii indigens, deſignabat *Adiuto-
rem*, Gvilielmum Furſtenbergium,
antiqvisſimo genere, et ſumma explo-
rataqve in rebus agendis virtute,
tantae moli ſuſtinendae idoneum,
qvem ſciebat, reipublicae cauſa plurima et maxima eſſe facturum. Is a principio novae dignitatis aemulum habuit Caſparem Munſterum, ſodalem Ordinis factioſum, et acrem inimicum, qvi ſpe adipiſcendi eius honoris fruſtratus, non ſolum *Adiutori* moleſtias exhibuit, ſed etiam Ordini perniciem machinatus eſt, totisqve viribus incubuit ad damnum ei inferendum. Erat enim ulciſcendi cupidus, et in honore prenſando nimius, atqve erepta potiundi ſpe, ac fru-

ſtra

ſtra tentato Duna rundae caſtello, auctisqve ob perfidiae ſuſpicionem offenſionibus, Magiſtro, et reliqvis Livoniae primoribus praeſulibusqve inviſus. Ergo qvaeſita elabendi cauſa, alio diceſſit, et relicta fortunarum ſede, Kokenhuſam venit, ubi bene acceptus, fidei et tutelae Archiepiſcopi ſe permiſit. Commotus ea re Magiſter, obiecit, et crimini dedit, qvod proditorem patriae tuendum ſuſcepiſſet. Itaqve Munſterum dedi voluit, bellum comminatus, ni poſtulatis locum daret, patrociniumqve fugitivo denegaret. Munſterus periculi memor, ad Albertum Pruſſiae Ducem tranſiit, ut ab eo impetraret auxilium, et tutiore loco eſſet. Inde acrius, conſultrore Munſtero, deliberatum eſt, et literae inter fratres ultro citroqve miſſae, qvibus perturbatae qveris invidiam, et omnem culpam in Magiſtrum contulerunt, Regemqve Poloniae, qvid in Livonia fieret, commonuerunt. Regi amice inter-

pellato, legationem decernere placuit, cum literae, intercluſis paſſim, iuſſu Magiſtri, itineribus, raro, nec tuto in Livoniam perferrentur. Munus hoc mandavit Caſpari Lanskio, qvi iter ingreſſus, in homines, qvis eſſet, ignaros incidit, et qvia publicas *liberi commeatus* literas exhibere non poterat, male mulctatus, tertio poſt die ex vulnere, qvod accepit, mortuus, Regi ob facti indignitatem dolore et ira affecto, acerbam ſui memoriam reliqvit. Qvo tempore Vernerus Schallius, peritos viarum homines, per diverſa Livoniae loca diſtributos, voluntate Magiſtri, inſtituit, ut omnes obſervarent aditus, diligenterqve caverent, ne iniuſſu ſuo literae nunciiqve in Pruſſiam et Poloniam commearent. His rebus non diu ſtetit concordia, et cum alii alios deprimerent, aut ſubvertere conarentur, nec aeqvo iure, ſed vi contenderent, et metu potentiae ſe disiungerent, ac ſecesſionem facerent, externisqve auxiliis

xiliis niterentur, in suam se ipsi perniciem exitiumqve armarunt. Cum ad ultima, sic distracta in partes Livonia, ventum esset, Magister Henricus, ascitis in foedus Livoniae Episcopis, Gvilielmo bellum indixit, et amicitiae ac societatis dissolvendae initium fecit. In repentina calamitate Gvilielmus, consilii cupidus, et domi ab amicis inops, Georgium Taubium ad Albertum fratrem dimisit, qvem aliqvot Eqvites, qvi id rescierant, nondum obita legatione, cum scapham conscenderet, sclopo verberarunt, eoqve interfecto, plerasqve Archiepiscopi arces confestim expugnarunt. Henricus ingravescente iam aetate, laboribus impar lenire, qvam ex superiore motu sibi auxerat, invidiam, et finire discordias civiles cupiebat. Reputabat animo, qvo in statu res esset, et inconstantiam fortunae, ac factionis adversae, ob magnas necessitudines, potentiam, temporumqve difficultates, et dubios atqve calamitosos belli,

praeſertim inteſtini, caſus. Qvare otium et reqviem curarum qvaerens, commodum ſibi locum Fellini circumſpiciebat, gravisſimiqvé muneris adminiſtrationem permittebat *Adiutori* Gvilielmo Furſtembergio, ex veteri Saxonia, ut virtutis exempla ederet, in has terras progreſſo.

XLVII.

1557. GVILIELMVS FVRSTENBERGIVS integritate et antiqvitate generis, qvod multas procerum Veſtphaliae affinitates complectitur, inclytus, ſed meliori temporum fortuna dignus, primum Dunaemundae Magiſtratum, titulo *Commendatoris*, geſſit. Deinde renunciatus Adiutor Ordinis, proximum a Magiſtro locum tenuit, et militiae domiqve fidem patriae, atqve induſtriam Ordini comprobavit. Sed acriori, qvam illa tempora ferebant, conſilio uſus eſt, et perturbato ſtatu, armis experiri voluit, qvando

qvando pacem, aut pacis tractandae cauſa, inducias fieri expediebat. Proinde Kokenhuſam, qvo Gvilielmus, et deſignatus eius adiutor fugerant, ſummis viribus oppugnavit, et arce in poteſtatem redacta, Principes captivos fecit. Gvilielmus Azelam abductus, et in cuſtodiam traditus eſt: Chriſtophorus poſt colloqvium, qvod petebat, Vendae cum ſene Magiſtro habitum, Treidenam deportatus, et ibi, ne elabi poſſet, diligenter aſſervatus. Ac ille qvidem captivitatis ſuae tempore plus incommodi accepit, et minus pro dignitate cultus et curatus eſt, qvod vitio et avaritia Philippi Schallii accidit, qvi annonam, et res ad Principis conditionem neceſſarias, parcius ſuppeditabat. Qvae Gvilielmi fortuna, praeterqvam, qvod Albertum fratrem magna animi ſolicitudine affecit, aliis miſericordiam, aliis indignationem commovit, et imprimis vicino Poloniae Regi permoleſta fuit: eo maxime, qvod fama ac-

 ciperet,

ciperet, Gvilielmum morbo implicitum, arctius, qvam deceat, custodiri. Rex pacis conciliandae cupidus, legatum misit, qvi de compositione ageret, et pro utroqve captivo Principe deprecaretur. Sed pertinacia partium omnis spes concordiae sublata est, qvum Rex id grave sibi, et auctoritati regiae ignominiosum duceret, si diuturniore custodia principum propinqvorum dignitatem violari patiatur. Ordo nihil magis, qvam pacta Volmarienſia, qvibus *Adiutor* excluſus est, servari cupiebat. Dimisso Sigismundi Augusti legato, venit alius, qvi nomine Christiani III. Regis Daniae se interponeret, et ad liberandos custodia Principes, Magistri animum inclinaret. Sub hoc tempus qvi pro Magistro administraverat, Furstenbergius, Ordinis Magister inauguratus est, princeps in ulciscendo vehemens, et difficilis ad faciendam pacem. Sed ne rem hanc in ultimum discrimen adduceret, obstabat legati auctori-

auctoritas, et praecipue comminatio vicini Poloniae Regis, qvi expeditione in comitiis Varſavienſibus decreta, tantum terrorem nominis ſui fecit, ut Magiſter de reſtituendis in libertatem principibus conſentiret, et in certa qvaedam capita, fidem legato daret. Sed haec durius ab altera parte accipiebantur, qvoniam aliqva eorum non ſatis aeqva, et a dignitate Archiepiſcopi aliena erant, qvae Rex Sigismundus Auguſtus non modo non rata habuit, ſed etiam prorſus improbavit. Praeterea de impenſis, in bellum factis, ſatisfieri Rex ſibi iuſſit, et ut ſerio id agi, apertius ſignificaret, ſtrictum acinacem miſit, et Magiſtro, apud Bauskenam conſiſtenti, reddendum curavit, eoqve ſigno admonuit, brevi ſe affuturum, et effractis carcerum foribus, captivos Principes ſua manu et armis liberaturum. Haec cogitanti, atqve ad expeditionem ſe paranti, intervenit legatus Ferdinandi I. Caeſaris, et data alloqvendi facultate,

cultate, pacem ſvatit. Rex, comparato octoginta millium exercitu, ſtativa tunc in Lithuania habuit, Semgalliae propior, et numero militum ac viribus maior. Formidoloſi timor belli fuit, et ſuſpenſos expectatione Livonos tenuit, dum pax cum Rege conficeretur. Conditiones qvidem durae Magiſtro latae ſunt, qvas, periculo imminente, accipiebat, ſi minus aeqvas, tamen pro temporum conditione tolerandas. Videbat legatus, qvo in ſtatu res eſſet, et hoc diligentius annitebatur, ut vicinos offenſionibus diſtractos, in concordiam reduceret, et novo amicitiam foedere confirmaret. Rex enim non difficilem ſibi expeditionem fore exiſtimabat, et victoriam prope in manibus habebat, metuqve maioris mali, Magiſtrum ad pacem redimendam ſubigebat. Vicini, pro ſuo qvisqve in Archiepiſcopum ſtudio, vel incitabant Regem, vel adiuvabant, qvorum praecipuus erat Albertus, Archiepiſcopi

ſcopi frater, qvi cohortes ſuas opportune ſubmittebat. At finitimis Pomeraniae Ducibus, nihil pace fuit antiqvius, qvod miſſis ad Regem internunciis, cum ad ultima ventum eſſet, multa cura atqve ſtudio declararunt, et ſumma ad eam rem officia cum Auguſto Caeſare coniunxerunt. Itaqve pax labentibus Livoniae rebus perutilis, tandem Paſvaldae Lithuanorum confecta, atqve his legibus conſtituta eſt, ut Magiſter duos Principes, a cuſtodia laxatos, ſine ulla exceptione in integrum reſtitueret, et propter factos in bellum ſumptus, ſexaginta millia argenteorum numum Regi perſolveret: Vernerus Schallius, qvi legatum Regis violaſſet, in freqventiſſimo Regni ſenatu, qvem Rex Vilnae habuit, veniam delicti peteret, et poenae cauſa certam pecuniam penderet, ad Lanckii neceſſarios perferendam. Eadem pace comprehenſum eſt, foedus mutuae defenſionis cauſa inter Polonos Livonosqve ictum,

ictum, et iureiurando confirmatum, qvod eo ſpectabat, ut alteri alteris opem auxiliumqve contra Moſchos ferrent. Cuius rei nuncio in Moſchoviam perlato, Ioannes II. iracundia exarſit, et de iniuria ſibi facta cum Livonis expoſtulavit, nec multo poſt bellum indixit, et omnes pacis conatus repentina irruptione eluſit. De non perſoluto Torpatenſi tributo, qvod fide et ſigillo firmaſſent, multa ſubiecit et conqveſtus eſt, de fruſtratione promiſſorum, et pactorum, non minorem animo iram concepit, et verbis literisqve declaravit: his artibus, qvae nihil ſinceri habeant, tentari ſe et impune falli: qvin et conſilia de pernicie ſua iniri, et novi foederis præſidia adverſus ſe comparari: nec meliore loco eſſe Ruſſos, qvi in Livonia commerciorum cauſa degant: hos variis affici incommodis, et vehementer laedi, teſtatus eſt, et palam dixit. Magiſter qvidem non ignorabat ſpecioſas belli cauſas qvaeri, et pactorum fidem,

velut

velut firmisſima pacis vincula ſervari cupiebat: cum hoc ſentiebat Torpatenſis Antiſtes, periculo, qvod imminebat, proximus, atqve eo minus a pace abhorrebat, ſed nullo iure ſe teneri, ut ditionem ſuam Moſcho vectigalem profiteatur, antiqvo immunitatis argumento, et perpetuo libertatis uſu confirmabat: de ſacris vero turbatis, et de commerciis Ruſſorum impeditis ſe excuſabat: in aliis, qvae vitio temporum accidiſſent, corrigendis operam ſtudiumqve promittebat: ceteri facile aſſentiebantur, et de minoris momenti rebus alias, et opportune conſtitui poſſe exiſtimabant. Moſchus contra efflagitabat tributum, et promiſſa praeſtari volebat: qvid, Hermanno Torpati Antiſtite, geſtum, qvidve eius voluntate conceſſum ſibi confirmatumqve eſſet, in memoriam revocabat: obligaſſe eum tributi ſolvendi cauſa fidem, confectasqve in eam ſententiam tabulas, et ſuo et civitatis Torpatenſis ſigno obſignatas

ſignatas tradidiſſe. Eqvidem Hermannus, auctore conſilii Georgio Holdſchuerio, in hanc ſententiam adductus, ſubſcripſerat literas, et auctoritate ſua communiverat, ut, qvalicunqve tandem ratione poſſet, bellum averteret, et inducias prorogaret: de praeſtandis autem, qvibus ſe aſtrinxerat, conditionibus non laboraret: rudem et agreſti ingenio legatum, non capere ſubtiles illas ſimulandi artes: multa qvidem in ſpeciem fieri, et temporis gratia promitti, qvae infecta maneant, et ſine magno diſcrimine negligantur. Conſulem deinde, Torpatenſem, recti moris hominem, et qvantum ea res patriae detrimentum allatura eſſet, admonentem, tanqvam vitae, et culti moris ignarum, verbis caſtigavit, et ſuperbe contempſit. Legatus ſecuro animo, literas ad magnum ducem retulit, et ſimulati aliqvid ſubeſſe ſuſpicatus, haud defuturum fallaciae vindicem uſu peritus intellexit, nec obſcure pronun-

nunciatis argute verbis indicavit. Holdschurius consultor pravus, in suos ipse laqveos se induit, et criminis conscientia constrictus, male periit, versuti vir ingenii, cuius maior in paciscendo facilitas, qvam in praestando sinceritas fuit. Hoc initium extitit magni illius incendii, qvo Livonia prope tota conflagravit, nec sine multo populi sangvine est restinctum. Idoneis tunc et maturis opus erat consiliis, cum spes servandae ab interitu Livoniae, ex religione superioris pacti, qvod Moschus impleri voluit, penderet. Qvare Magister metu imminentis belli, curaqve anxius, de sententia Torpatensis, & reliqvorum Livoniæ Antistitum legatos misit, qvi consilia ad placandum Moschum referrent, et aeqviori conditione pecuniam solverent, ac simul tributi moderationem exorarent. Sed Moschus, cur paciscinollet, causas statim exposuit, et violatam pacti fidem graviter exprobravit, atqve hoc magis

deteſtatus eſt, qvod Livoni non ſtetiſſent promiſſis, ſigillo, et *crucis* oſculo confirmatis. Legati cum petendo inſtarent, reſponſum eſt, nihil impetraturos, ni copias dimitterent, et omnem belli ciendi ſuſpicionem ab ſe removerent. Ad hoc additum eſt, omnia eos fruſtra facturos, niſi millia argenteorum numûm ſine mora perſolverent, et ſincere omnia ex foedere praeſtarent: de Torpatenſi Epiſcopo adiectum eſt, ut qvotannis mille numos Vngaricos daret, eaqve conditione tutus eſſet, et tranqvilla pace frueretur. De miſſione cohortium res celeriter transacta eſt, tanto autem Livoniae damno, ut publicae privataeqve fortunae omnes Moſchi arbitrio, militumqve libidini deinceps ſubiicerentur. Qvod poſtea evenit, qvam conditio de pecunia non ſtatim impleta, rerum faciem mutavit, et ita offendit Moſchum, ut conſilia in Livonae gentis perniciem verteret, et abrupto pacis negotio, regionem foe-

da

da populatione vaſtaret. In tanta rerum perturbatione nemo reſiſtere potuit, agro omnibus praeſidiis nudato, et dimiſſo incaute exercitu, qvem ſervare patriae, et hoſti patriam invadenti obiicere debuiſſent. Rebus igitur perditis, in ſumma omnes deſperatione verſabantur, et inopes conſilii, imparatiqve, ne in vicino qvidem et foederato Poloniae Regno auxilium inveniebant. Finitimi Daniae Sveciaeqve Reges non tempeſtive rogati, aliqvoties offenſi, alienum periculum ſecure ſpectabant, et expectatione inſtantium ſuſpenſi, nihil eorum cauſa faciebant, nec ſe interponebant, neqve expeditionem pro iis ſuſcipiebant. Nec Ferdinandi I. votis ſic fortuna reſpondebat, ut ultra Auſtriae fines exercitum mitteret, et Livonos, qvi ab eo ius petebant, in repentina et fatali illorum temporum converſione tueretur. Qvin Moſchus vel eo nomine indignari coepit, qvod Caeſaris auctoritate ſe muni-

rent, qvi nulla Caesarum reverentia ducti, spretis eorum rescriptis, non iure, sed libidine iudicarent, nec iudicata facerent, sed cuncta arbitratu suo constituerent, et ritus suos licenter mutarent, neqve ab incepto desisterent, et qvamvis admoniti, maiorum instituta aspernarentur. Maxime coargvebat Torpatenses, cum ob ambiguam fidem, tum ob summum in Graecorum sacra odium, qvod dirutis Graecorum fanis comprobassent. Nihil restabat, qvam ut Livones, aut dedi tione facta Moscho se subiicerent, aut precibus eum ad misericordiam flecterent, muneribusqvè placarent. Itaqve clade suorum perculsi, et omni spe, ut in re subita plerunqve fit, dejecti, legatos mittunt, qvi pecunia pacem redimant, et sexaginta millibus numum inducias paciscantur. Qvi longum iter emensi, dona afferunt, et ad Ioannem deducti, nec benigne accepti, alienatum eius animum cognoscunt. Qvod contra, qvam sperabant,

bant, accidit, qvum Ioannes nova iniuria se provocatum diceret, causamqve legatis praesentibus aperiret, et ob violatos temere interfectosqve Narvae Rusficae incolas, foedus novissimum, et inducias qvatuor mensium perfide ruptas, exprobraret. Res ita evenit, ut non voluntate Magistri, nec iussu praefecti Narvae Germanicae, sed levitate vilissimorum hominum, facta existimari posset. At Ioannes, qvi dolorem atqve iram tenere non poterat, legatos, reiectis qvas afferebant, excusationibus, et lata, praeter expectationem repulsa, perturbatos, cum pecunia ad Magistrum remisit. Hi tristes et confusi, qvid actum esset, Magistro nunciarunt, et ut primum Livoniae fines attigerunt, rumore huius negotii dissipato, omnia planctuet eiulatu compleri coeperunt. Haud multum processerant legati, cum Moschi de Livonorum perfidia conqvesti, Narvam Germanicam obsident, et annona auxilioqve destitu-

tam expugnant: tum arcem, deditione facta, capiunt: praefecto et praesidiariis libera potestas abeundi permissa est, sed nihil, qvod secum portarent, relictum. Cives sacramento fidem obligarunt: vicinus ager direptus, incolae male mulctati, et servitute oppressi. Inde hostis, transitu opportuno, in Torpatensem tractum duxit, et Nienhusam oppugnavit, praecipuam illius ditionis arcem. Advenit Magister, et velitationibus Moschum distinuit, sed vires ei ad conserendum cum hoste praelium defuerunt. Neqve eo secius accurrit Gotthardus Kettlerus, et qvanta fieri celeritate potuit, turmas eqvestres ad resistendum comparavit, nec multo post in Comitiis Valckenae habitis, una omnium sententia, Ordinis *Adiutor* est consaluratus. Prudenter hunc sibi adiunxit Furstenbergius, ut una ageret, qvod ex usu belli esset, eo qvod Moschi, contractis undiqve auxiliis, Livoniae exitium omnibus viribus

bus molirentur. Moſchorum copiis cum ſummo imperio praefuit Scytha qvidam crudelis et ſangvinarius, nomine Sigaleyus ab aliis Siſegaleider dictus, uſu belli peritus, et Germanico imprimis nomini infeſtus. Qvare nullam in Germanos ſaeviendi occaſionem praetermiſit, et captivos ſummo cruciatu confecit ac laceravit, et brachiis naribusqve abſciſſis foedavit, nec mitius ſtatuit in feminas, qvas mammis, ne ſtatim emori poſſent, exſectis, horrido lentae crudelitatis exemplo necavit. Praeter haec miſerrima mortis genera, clades et incendia oppidorum, ac ruinae arcium, et alia immanitatis documenta palam ante oculos erant, qvae multos cives et incolas ſic movebant, ut prius ſe hoſti dederent, qvam vim expectarent: alii ad appropinqvantis Sigalei famam territi diffugerent, et ſuppliciorum atrocitatem evitarent. Sed qvosdam, cum ſe proripere vellent, interceptos, expugnata ante Nienhuſa, praemiſit

Torpatum, qvi mutilati, et manibus brachiisqve revulsis miserabiles, Sigalei adventum nunciarent, et foedo laceratorum corporum aspectu Torpatensibus terrorem incuterent, atqve vrbis salutem in celeritate deditionis esse positam, his notis signisqve Scythicae crudelitatis indicarent. Torpatum deinde machinis verberatum, non diu restitit, et post multas inter se civium, et sacri Ordinis hominum contentiones, admoto propius exercitu, sine caede et sangvine captum est. Antistes Vrbis Hermannus, qvi spem in defensione repositam habuit, neqve in deditionem consensit, abductus est in Rusiam, ubi vir constantia integer, in custodia decessit. Magnam auri argentiqve vim nactus est hostis, et opes longo tempore collectas, qvibus vel duos exercitus aleret, in potestatem suam redegit. Ingens praeda cum tormentis aeneis avecta, et res pretiosae omnes, qvas fortuna victori obtulit, ereptae:

his

his exceptis, vitam et domos ſuas cives ſalvas habuere. Inde, aperto regionis aditu, qva ferebat via, regionem armis peragravit hoſtis, et late depopulatus eſt, cui Magiſter haud reſiſtere auſus, in munita loca ſe recepit. Non enim id tempus erat Reipublicae, qvo hoſtem laceſſeret, et locum pugnandi daret. Copiae morbo et miſsione militum imminutae, opes Ordinis variis caſibus acciſae, vaſtitas agri in ea rerum perturbatione et motu, inclinata ſociorum fortuna, et nova calamitas vrbis Torpatenſis, et oppigneratis, atqve oppreſsis aere alieno multorum bonis, patriae conditio miſera, et egeſtas, omnes oppugnandi conatus irritos faciebant. Tenebat ergo, et praeſidiis tuebatur munitas vrbes atqve arces. Vittenſteinium, arcem validam, a Bernardo Schmettenio eius praefecto, in ea rerum trepidatione deſertam, miſſo illuc Caſpare Oldenbockio, impigro et ſtrenuo Ordinis Eqvite receptam,

tempeſtive impoſito milite, firmavit. Servata arce, et depulſis, qvi oppugnatum venerant, Moſchis, non ſegniter, qvæ ad defenſionem opus erant, curavit, et diligenter providit, necunde ab infeſto hoſtium agmine opprimeretur. Stationibus, excubiis, cuſtodiſqve militaribus, arces et oppida tutatus eſt, neqve tamen ſic tuta et firma eſſe cenſuit, ut ſuis tantum viribus, ſine externo auxilio, niterentur. De Revaliae arce inprimis cogitabat, et angebatur, qvæ niſi magnis viribus defendi non poſſet, ſervata autem muniret patriam, et reprimeret ferociam hoſtis. Mox legatio ad Chriſtianum III. Daniae Regem decreta eſt, ut ſtatum regionis, et diſcrimen vrbis arcisqve ſignificaret. Sed nihil ab eo impetravit, et infecta re, dimiſſa eſt, qvamvis laurae conditiones eſſent, qvas ad conciliandam ſibi Regis voluntatem auxiliumqve exorandum afferebat. Nam Revalia Eſthonum, vrbs, ſitu loci, et portu commodo

prae-

praedita, commerciisqve opportuna, in Regis fidem et clientelam se tradere volebat, idqve formula sponsionis, si Rex annueret, confirmabat. Ad huius societatem se adiunxit Ordo equestris, qvi in Harria et Viria amplas et opulentas possessiones habebat. Qvo nomine petitum missi Fabianus Tisenhusius, et Bruno Vedbergius, viri praecipua auctoritate, et spectata in negotiis fide. Cum his venerunt, qvi vrbis causam agerent, Ivo Hogeus, Caspar Breidtholzius, et Iodocus Kloodtius, *Syndici* nomine et munere, ad perficienda senatus populiqve Revalienſis mandata accitus. Hi perditas patriae res, consumptas opes, exhaustum Reipublicae aerarium, paucitatem militum, comploratamqve gentis suae libertatem dicentes, Regem auctorem et parentem fortunae publicae poscebant, et rebus omnibus hoste se inferiores, non resistendo esse, confirmabant, nisi Regis ope defendantur: si huius rei, ut

spe-

ſperent, compotes fiant, ſalutem et fortunas Regi debituros, imo divina humanaqve omnia ei uni inter mortales accepta relaturos. Rex benigne comiterqve accepit internuncios, ſed ne armis et praeſidio laborantes iuvare qveat, multis modis ſe impediri pronunciavit, ſenectutem et infirmam valetudinem cauſatus. Longinqvitas locorum, difficiles annonae ſubvectiones, pertinacia hoſtium, et alia belli incommoda, atqve incerti eventus, Regem ad qvietis cogitationem revocabant. Ea enim aetate langvens, laboribusqve confectus, et tolerandi inſolens, ab armis et magnis proferendi regni conatibus deſiſtebat, regnum ſatis auctum ratus, qvod ſuis domi ſubſidiis fultum, et ideo per ſe tutum eſſet. Legatis aliqvanto poſt dimiſſis, benevolum ſe probavit ac liberalem, et aliqvot millia aureorum numûm dono dedit, laridum qvoqve, et annonam cumulate praebuit, praeterea machinas, et aliqvot tor-

tormenta bellica ex aere fusa, magnam item sulphurei pulveris copiam suppeditavit. Interea vrbis arcem et basilicam cum praesidio tenebat Christophorus Monighusius, eqvestri familia natus, et in spem auxilii Danici erectus, pro Rege ibi et vicario iure curabat. Postea vero, qvam Rex nullis precibus adduci potuit, ut Revaliam cum vicinis tractibus tuendam susciperet, novae expeditionis Fridericus Volckersamus, *Praepositi* Rigensis titulo auctoritatem nactus, delectu suorum et Ordinis militum habito, movit in agrum Torpatensem. Sed praeter aliqvot velitationes, non magnum hosti detrimentum attulit, nec iusto praelio confligere ausus, cum excursionem minus caute faceret, caesus; cohortes, amisso ductore, ad praesidia arcium, et stationes suas, uno duntaxat castello Ringenensi capto, redierunt. Ex eo tempore Kettlerus *Adiutor*, ad servandam Revaliam intentus, magno et difficili

ficili itinere confecto, in vrbem intrat, et explicatis consilii rationibus, praesidium arci impositum, ad pristinam industriam revocat, atqve in Ordinis clientela confirmat. Qvae res pro rerum et temporum statu opportune accidit, et terrori hostibus, vrbi in summum discrimen coniectae saluti fuit. Hoc Esthoniae clavstro, et Harriae propugnaculo e periculo, qvod imminebat, erepto, Moschi aditu submoti, spem subigendae regionis abiecerunt, neqve minis, neqve pollicitationibus vrbem ad recipiendum praesidium, deditionemqve faciendam adducere potuerunt. Eadem fide Riga stetit, et nunciatis Moschi iniqvis postulationibus, se fortunasqve suas defendere instituit, reiectis, qvae offerebantur, conditionibus, uti se dederet, et salutem, hac scilicet salutis ratione proposita, conservaret. Vbi neutra civitas assensit, nec repentino casu, metuve ad assentiendum moveri se passa est, hostis conatu expugnandae

dae civitatum conſtantiae deiectus, et ſpe dominatus conſtituendi fruſtratus, ex earum finibus excesſit. Ioannes Moſchus brevi poſt, miſſa ad Ferdinandum I. epiſtola, qvamobrem copias in Livoniae perniciem evocaſſet, allatis, qvae paulo ante commemoravi, argumentis declaravit. Ita hoſtis diu praedatus, agrumqve populatus, cohortes ac legiones, ferro et igni vaſtiratem terrae, atqve exitium populo molitas, in Moſchoviam, unde odio Germanicae gentis exciverat, poſt teterrimas caedes atqve immaniſſimas direptiones reduxit. Furſtenbergius curis laboribusqve confectus, principatu Ordinis ſe abdicavit, et rebus ſumma fide ac ſolertia ſingulari geſtis, Fellinum, velut in portum, honeſtae qvietis cauſa, ſe recepit.

XLVIII.

XLVIII.

1559. GOTTHARDUS KETTLERUS, a ſuperiori Magiſtro, ſummae dignitatis conſors, et interioris conſilii particeps factus, in multis et magnis Reipublicae muneribus, qvibus praefuit, virtutem ſapientiamqve oſtendit, et maximum atqve gravisſimum regendi onus, cui vix alius ſuſtinendo par erat, tempore difficilimo, et procerum animis in varia ſtudia diſtractis, ſuſcepit. Simulatqve enim ad tractanda reipublicae gubernacula accesſit, de ſua et Ordinis ſalute angi turbariqve coepit, et in ea cura gnaviter verſatus eſt, ut Livoniam, qvam poſſet, tutisſimam praeſtaret. Qvem non vis animi, qvae in eo valde excitata erat, ſed vires, utpote proxima Ruſſorum irruptione fractae, defecerunt: nec ſcientia rei militaris, neqve uſus armorum ei defuit, ſed belli nervus et fortuna, iſto labentis patriae ſtatu, Magiſtrum, ad ſpem defenſionis niten-

nitentem, deſeruerunt. Hoſtis recenti irruptione ferox, et Livonorum ſpoliis, maximaqve praeda potitus, necdum cupiditate exſaturata, nomini Germanico iratus atqve infeſtus, et potentia ſua, atqve invadendi opportunitate fretus, ad novam ſe comparabat expeditionem. Magiſter nullis vicinorum auxiliis adiutus, pecuniam, qvam in ſtipendia militum daret, praediis, et arcibus Grubino, et Kegela, pignori oppoſitis, colligebat: partem ab Alberto Prusſiae duce, partem ab vrbe Revalienſi accipiebat, magnaqve celeritate exercitum conficiebat, et qvemadmodum auctoritate praeſtabat omnibus, ſic induſtria et exemplo ceteris anteibat. Cumqve morbus, qvi rempublicam fere oppreſſerat, gravior eſſet, qvam ut eidem ſubvenire ſua unius ope poſſet: de ſtatu eius periculoſo, et ni praeveniatur, Livoniae exitium allaturo, Ferdinandum I. et Imperii Principes, qvi ad Comitia Auguſtana deliberatum vene-

rant, admonendos curavit. Legatione functus est Georgius Siborgius qvem Magister, titulo *Commendatoris* sibi devinctum habuit, atqve has ei impositit partes, qvas ille, nec muneris, neqve aetatis excusatione, recusavit, qvamvis sciret, multis difficultatibus implicitas esse. Ex legato cognoscebant, omnem esse in armis Moschoviam, et foediorem, qvam antea, minari irruptionem: tum audiebant longam seriem malorum, qvae Livoni pertulissent: agrum caedibus et incendiis vastatum, multas arces vi captas, plures, metu saevitiae, sponte deditas: fortunas hominum direptas, magnam opulentamqve praedam, ab hoste avectam, totam regionem crudelitate, et clade concussam, aut immani ser vitute pressam, auxilio deinceps Imperii, in cuius fide sit, staturam: nisi id fiat, nec virtute, neqve consilio tuendae libertati suffecturam, vrbes, qvae hostilem huc usqve impetum sustinuissent, in potestatem

Mo-

Moſchorum venturas, arces reliqvas, qvae eisdem irruentibus reſtitiſſent, deditionem facturas, omnia deniqve et circumiecta etiam loca hoſtium armis ceſſura. Legato reſponſum eſt, nihil optatius Caeſari et Imperio evenire poſſe, qvam ut Livoniae, in civitatem Germanicam aſcriptae, et tam indigna ab hoſtibus perpeſſae, auxiliari posſint. Sed ut illorum temporum res erant, in conventu Ordinum ita conſtitutum eſt, ut centum aureorum millia legato offerrentur. Minor, qvam ſperabat, ſumma fuit, praeſertim cum in praeſentisſimo diſcrimine ſubſidia prompta, et pecuniam celeriter ſubminiſtrandam expectaſſet. Nam cenſus Magiſtro modicus, in tanto belli apparatu, non ſufficiebat; magnisqve, et multis opus erat, ſumptibus, qvos in militiam faceret, et hoſti obviam iret. Eo minus conveniebat, oblatam repudiare pecuniam, et ſpernere liberalitatem Imperii, qva difficultates numariae, ad tem-

pus ſaltem leniri potuiſſent. Sed culpa in legatum coniecta eſt, damnum ad Ordinem pervenit. Magiſter eqvidem conatu non ſpernendo, et initio expeditionis felici verſus Nuggam duxit, caſtrisqve ibi poſitis, Ruſſos elicuit ad pugnam. Victi in acie Ruſſi, qvidam caeſi, multi incuſſo caedis metu dilapſi, Torpatum ſe receperunt. Magiſtro hoſtem inſecuto, ſpatium datum eſt recuperandi, qvod Ruſſi cum praeſidio tenebant Torpati: minimum abfuit, qvin occuparet, praeſertim cum ſubſidio eſſet Chriſtophorus, Gvilelmi Antiſtitis Rigae Adiutor. qvi ſimul depugnabat cum hoſtibus, et fugientium veſtigia ſeqvebatur. At illo anni tempore non erat commoda obſidendae eius vrbis facultas, maxime ob coeli inclementiam, et vias paſſim difficiles ac lubricas, qvae currus, annona et apparatu bellico inſtructos non ferrent, nec ſinerent progredi pedites, graviori armatura, ne ſub Torpati muros

ros ſuccederent, impeditos. Caſtra nihilominus ad arcem Layſſam promota ſunt, obſidio tamen, praecipiti iam autumno, multis militum amiſſis, ſoluta eſt, machinae curules Fellinum devectae, cum tertia Ruſſorum irruptio fieret, in poteſtatem hoſtis venerunt. Ruſſi ea Magiſtri expeditione offenſi, ac denuo irritati, Livonis hiemandi cauſa ſecuris, et ob ſtipendia aegre placatis, repentino impetu facto, menſe Ianuario Lettiam invaſerunt, captoqve, qvod limitem tuebatur, Mariaeburgo, non minus Livoniae damnum, qvam Rigae terrorem afferebant. In tanta rerum perturbatione circumſpiciebant vicinum, cui ſalutem et fortunas committerent, rationemqve ſecuritatis ſuae inirent. Oppigneratae poſſeſſiones Ordinis, et arces, conſumptae bello opes, aerariumqve exinanitum, et illata regioni vaſtitas, repentinaeqve incurſiones, hominum qvoqve per agros caedes, aut captivitas, miſeriae

ſeriae deniqve et difficultates plurimae, qvae nec vitari, neqve emendari poterant, praeſidii contra Ruſſos qvaerendi neceſſitatem Livonis imponebant. Caeſar eqvidem Ferdinandus ab Danis et Svecis auxilia petenda cenſuit, idqve ut fieret, mandato iniunxit, ſed Livoni inclinatis in Poloniam animis, primum imploraruntSigiſmundi Auguſti opem, promiſſis ei ſexies centenis millibus Vngaricorum numum, qvos finito cum Ruſſis bello, perſolverent: Regi tantisperdum, conſtituto in novem arcibus pignore, de pecunia caverent. Deinde factum eſt, ut Ruſſi omnes ad opprimendam Livoniam vires converterent, et edita apud Ermas Livonorum ſtrage, captoqve Fellino, et abducto in Ruſſiam Furſtenbergio, diverſis agminibus regionem infeſtarent, Eſthonesqve, et in his praecipue Revalienſes Erico, Guſtavi filio, Sveonum Regi ſe permitterent, Dani autem, annitente Friderico II. Rege, fove-

foverent partes Magni Ducis Holſatiae, eumqve confirmatum vellent in poſſeſsione ſacri patrimonii, qvod a Livoniae Epiſcopis redemiſſet. Qvae res tangebat ceteros Antiſtites, maxime Archiepiſcopum Rigenſem, qvorum cum Magiſtro communis erat defenſionis cauſa, nec per ſacerdotiorum leges licebat, venales habere *dioeceſes*, qvarum duas Oeſilienſem, et Piltenſem Magno Duci vendidit Ioannes Monnighuſius, Revalienſem ei tradidit Mauritius Vrangelius, uterqve metu Ruſſicae irruptionis, diſceſſit a munere, et patriam reliqvit. His permoti rebus Magiſter, et Praeſul Rigenſis, ac reliqvi Ordines ſacri, nobiliqve loco nati omnes, cum nihil ſpei in ſe et viribus domeſticis repoſitum haberent, nec ſibi deinceps praeſidio eſſe poſſent, hoc enixius auxilium tutelamqve Sigiſmundi Auguſti poſcebant. Rex cum ſciret ad extrema redactos, duras eis conditiones ferebat, et defenſionem, mutato cum

gentis fortuna animo, recuſabat, tempus interim agendi commodius expectans, de Livonia ad Poloniam adiungenda bene ſperabat, atqve hanc perficiendae rei occaſionem ſibi datam eſſe arbitrabatur. Veniebat qvidem Magiſter Cracoviam, et ex foedere auxilium petebat, ſed Rex ab ſe comiter dimiſſo, auctor fuit, ut qvamprimum iret in Lithuaniam, et in comitiis Vilnam indictis, Polonorum ea de re ſententias audiret. Diſcesſit cum bona ſpe Magiſter, et Regem comitiorum cauſa, Lithuaniam ingreſſum, denuo Vilnae obſecravit, ut in comitiis ſtatueret de hoc negotio, et promiſſa praeſtaret, pactaqve conventa. Novum adeo hoc foedus Vilnae coaluit, et his qvidem legibus, ut Magiſtri, atqve omnium Ordinum conſenſu, Livonia deinceps in clientela Regis, qva Magni Ducis Lithuaniae, eſſet, atqve hoc nomine ei fidem obligaret. Qvod pacti Vilnenſis caput, una cum aliis conditionibus, publica

blica procerum auctoritate comprobatum est, annitentibus maxime Lithuanis, ut vires iungerent, et arma simul expedirent. Sed his rebus Livonia e periculo non evasit, cum Rex natura et more suo cunctator, Russos spe pacis Polonicae, nihil ausuros crederet, sed illi nihilo mitiores facti, opinionem Regis fefellerunt, infestoqve exercitu Livoniam aggressi, maiore, qvam antea, crudelitate agrum diripuerunt, & ut Rex praesidia de Livoniae arcibus deduceret, postularunt. Idcirco instanti, et rogare perseveranti Magistro, qvid sui tandem sit consilii, aperit, et ut periclitanti patriae consulat, adhortatur: qvod aliter fieri non possit, qvam ut Livonia iisdem, qvibus Polonia, legibus regatur. Si ergo salvam velint patriam, si e periculo ereptam cupiant, Polonici nominis patrocinio atqve auxilio se defendant: qvod futurum sit, si non modo in clientelam Lithuaniae veniant, sed etiam regno Poloniae devincian-

tur, nec tantum ut ſocii ſe iungant, ſed etiam ut cives aeqvo defenſionis iure utantur. Illud Livoniae, tot cladibus vaſtatae, ſupereſſe remedium, ut Magiſter, et ceteri Ordines, qvum omnia eos deficiant, ultima necesſitate coacti, ad hanc paciſcendi conditionem, qva fidem parendi Poloniae obligent, ſeſe adduci patiantur. Cum aliam tuendae ſalutis rationem non reperiret Magiſter, Livoniamqve a Danis, Sveonibus et Ruſſis divelli ac diſtrahi videret, Revaliam qvoqve, Torpatum, et reliqvam Eſthoniam repetere non poſſet, viribusqve diuturno bello contritis, nulli hoſtium vicinorum reſiſtendo eſſet, nec Lithuania eius defenſioni ſufficeret, neqve ullus e Germania exercitus ſubſidio iret, recidentibus ad nihilum conſiliis, et ruentibus ad interitum rebus, in Regis Reiqve publicae ius et poreſtatem, ditionem atqve imperium concesſit, et utriqve fidem obſeqventis et beneficiarii Principis iureiurando

do obſtrinxit, confectisqve et confirmatis manu ſignoqve Sigiſmundi Auguſti tabulis, a Nicolao Radzivilio, Olikae et Neſviſii Duce, Regis et Regni legato, Dux Curlandiae et Semgalliae, qvod anno M. D. LXI. accidit, publice eſt renunciatus. Priusqvam ſolennia inaugurationis peracta ſunt, Gotthardus Magiſtri dignitate ſe abdicavit, et depoſitis, qvae nomine Ordinis habuit, inſignibus, crucem auream, et ſigillum, qvibus antea uſus fuerat, aerario Lithuaniae inferenda, eidem legato, cum plena ad id poteſtate miſſo, tradidit, ac Poloniae ita ſe devinxit, ut novus ille hereditariusqve ducatus in poſterum Lithuaniae coniunctus copulatusqve eſſet, eodem plane nexu, qvo Ruſſia minor, Maſovia, Samogitia et Pruſſia nuper Lithuaniae ſe alligaſſent et adiunxiſſent. Nihil excepit, ne literas qvidem, et privilegiorum tabulas, Imperatorum et Pontificum auctoritate perſcriptas, Ordiniqve conceſſas.

Cla-

Claves arcis Rigae, et portae vrbis poſtridie novo Duci a legato redditae ſunt, qvibus deinceps, ut ſummus Livoniae Magiſtratus, pro Rege, et vicaria dumtaxat poteſtate, uteretur. Ne tamen id fraudi eſſet nomini et honori recens creati Ducis, efflagitavit is ab Rege et obtinuit, accepta a Radzivilio caurionis formula, de damno, et proſcriptione Imperii avertenda: tum de ſacris in praeſenti ſtatu relinqvendis, et integris ſemper inviolatisqve retinendis: praeterea de iuribus, privilegiis atqve immunitatibus familiarum eqveſtrium conſervandis; amplius de iurisdictione ſecundum leges et antiqvas conſvetudines exercenda, conſtitutis ad eam rem Magiſtratibus Germanicis, ſalvo tamen provocandi iure ab inferiori, et ordinario cuiusqve Magiſtratu ad ſummum, qvi pro Rege Livoniam adminiſtraret: Tribunal vero iudicum regiorum non ex aliis, qvam indigenis Germanicae et Livonicae nobilitatis, urbiumqve Livonicarum ſenato-

natoribus, domicilia et poſſeſsiones ibi habentibus, conſtaret: Omnibus his, civili conditione praeditis, integrum eſſet, nullo qvoqve interiecto, provocare ad Regem, ſive ad Rectorem Livoniae Vicarium Regis, ſive ad Senatum ab Rege conſtitutum: Praefecturae porro et dignitates, munerumqve civilium perfunctiones, indigenis, et indigenarum ius adeptis, haud aliter, qvam in Prusſia committerentur, et omnes adminiſtrandi partes ex iuris et aeqvitatis ratione conſtituerentur, et univerſa, in qvae conventum eſſet, capita auctoritate regia confirmarentur: Fines Curoniae et Semgalliae ita deſcriberentur, ut qvicqvid inter Dunam flumen, et Samogitiae ac Lithuaniae terminos comprehenſum, Ordiniqve antea ſubiectum fuiſſet, in poteſtate et ditione Ducis permaneret: tractus ultra Dunam Poloniae, ſpeciatim Lithuaniae adderetur: praefectus Rigae ex ſenatu Vrbis electus, et *Burggravii* titulo inſignitus, perinde ac

Geda-

Gedani, Regis confirmatione egeret, iureqve iurando ſpeciali eidem Regi aſtringeretur: patrimonium et poſſeſſiones Epiſcopi Curonienſis, cum reliqva Curonia, novo Duci aſſignarentur: Magno Holſatiae Duci idonea iuris compenſatione ſatisfieret: ius piſcandi pro dimidia fluminis Dunae parte, cum aliis commoditatibus atqve emolumentis, ad Ducem, manifeſto aeqvitatis argumento, pertineret: de oneribus belli gratia ei fieret, et immunitate frueretur, neqve ob aes alienum Gedani et Rigae contractum interpellaretur, atqve in ius vocaretur: ius monetae cudendae penes Ducem hac lege eſſet, ut in altera Regis, aut Poloniae Lithuaniaeqve altera eius parte Ducis, inſignium effigies incideretur: vendendi, oppignerandi, et permutandi facultas Duci eſſet, dummodo prius ea de re ad Regem, ſucceſſoreſve eius, referretur: qvo caſu Regi optio daretur ipſiuſmet pignoris capiendi, ſi vellet:

vellet: ſin vero id recuſaret, Duci liceret tradere, cui liberet. De Eſthoniae Ducatu, qvi iam in Sveonum ditione erat, res in aliud tempus reiecta, et ad futuram, qvam Rex ſperabat, transactionem aut belli eventum dilata eſt, ea conditione, ut qvandocunqve Rex Eſthoniam et Revaliam recepturus eſſet, Duci earum ratione aeqva portio aut in bonis aut pecunia deductis tamen prius, qvas eo nomine faceret, impenſis, attribueretur. Extremo machinae bellicae Regi, cum arcium et oppidorum ceſſio fieret, relictae, pro modo molis et bonitatis ſuae, civitatibus et caſtris reſtituerentur; Ebraeis nulla per Livoniam commercia exercenda, nullaqve vectigalia et tributa uſpiam exigenda concederentur: copiae militares tam ad firmandas praeſidiis Vrbes et arces, qvam ad reprimendas hoſtium incurſiones, qvotiescunqve opus eſſet, laborantibus, et auxilii indigentibus a Rege ſubmitterentur,

rentur, omnia deniqve negotia ex utilitate publica, et communi Livoniae ſecuritate, etiam abſente Rege, adornarentur, opportune et inſtruerentur. Haec talia eodem hoc anno III. Kalend. Decembr. Vilnae in tabulas relata, et a paciſcentibus ſancte confirmata, ac perfectis ſolennibus, ad exitum perducta, documento ſunt antiqvati huius Ordinis, et extinctae Magiſtri Livonici dignitatis, qvae repetitis a conditore initiis, duravit trecentis qvinqvaginta ſex annis, et in fide, clientela ac ditione Imperii Germanici, cuius auſpicio inchoata, et ſangvine maiorum acqviſita, ac diu acriterqve defenſa, permanſit ad hoc usqve tempus, qvo vires et opes univerſae ſodalitatis illius in Livonia conciderunt, cauſamqve priſtinos dominos mutandi, et recipiendi iuris ſeculi praebuerunt, nec meliorem Archiepiſcopi Rigenſis conditionem, ſacro eius ſtatu converſo, et novo Ducatu trans Dunam conſtituto, reliqverunt.

ADDI-

ADDITAMENTA,

QVAE NOTARUM LOCO ESSE POSSUNT.

AD VINNONEM.

Vinno] Huius nomen omisit Arnoldus Lubecensis, rem ipsam tamen, Ordinisqve initium memoravit. l. VIII. Chron. c. 9. Eundem silentio praeteriit Dusburgius, in Chron. Pruss. Cuius in lingva vernacula explanator fuit Nicolaus Ieroschinus. Adeum scripsit Innocentius III. anno pontificatus sexto decimo, cui respondet annus Christi millesimus ducentesimus decimus tertius. Epistola eius extat apud Francis. Bosqvetum l. IV. Regest. XVI. Ep. 123. et apud Stephanum Baluzium l. XVI. Ep. 123. Inscri-

ptio eſt haec: Magiſtro et fratribus militiæ Chriſti in Livonia conſtitutis, et infra paulo poſt ep. 128. Dilectis filiis militibus Chriſti in Livonia. Nec vero Pontifex Vinnonem proprio nomine appellavit, ſed generatim dignitatis vocabulo eum deſignavit. Ab aliis ſcribitur Vinnenus, a plerisqve etiam Vinandus, ut apud Fridericum Menium in hiſt. prodr. Iuris Livonici. Sed Vinno, ſeu Vino, uſitatum fuit nomen in veteri Saxonia, ex qva magnus eqvitum numerus prodiit. Eandem ſcribendi nominis rationem tenuit lac. Aug. Thuanus, Davidem Chytraeum, qvem in rebus Germanicis adhibuit, ſecutus, lib. hiſt. XXI. Legere memini Vinnonem qvendam a Meinverco Antiſtite, ad viſendam ſancti ſepulchri baſilicam, imperante Conrado Saliqvo miſſum, eoqve, itinere feliciter confecto reverſum. Mentio huius eſt in tabulis eiusdem Conradi, anno 1033. Nordhuſae confectis, in qvibus Helmvardushuſanus

Abbas

Abbas vocatur. Nominis primi huius Livonorum Magiſtri veſtigia ſuperſunt in oppidis et vicis, a Vinnone conditis et appellatis, Venda, Vindavia, Vschevenda, qvorum originem Philippus Cluverius haud accurate ad Venedos retulit, contra fidem hiſtoriae, et argumenta temporum, qvae id prorſus vetant.

Innocentius III.] Non congruit his temporibus Alexander III. id qvod tradit auctor Chronici Ordinis, ex eoqve Thomas Vaiſſelius, cuius parachroniſmum et res geſtae, et rationes temporum refellunt. Nihil definit Chriſtophorus Hartknochius, in notis ad vetus Chronicon Prusſiae. p. 115. Errorem ibi vitio operarum commiſſum putat Bernhardus Iuſtinianus, in hiſtoria Ordinum militarium Italico ſermone confecta. p. 568. Sed in chronologia Vinnonis haeſitavit, et A. C. 1206. primordia eius magiſtratus capienda exiſtimavit, in diſſert. XXIX. de vet. Pruſſ. p. 412.

Alberto Rigenſium Praeſule] Albertus tertius Livoniae Epiſcopus, qvi ſodalitatis militum Livonicorum inſtituendae auctor fuit. Arnoldus Lubecenſis l. c. Petrus Dusburgenſis. Poſtea vero, qvam aemulatio potentiae inter Epiſcopum et Magiſtrum coepit, ab Ordine alienior factus eſt, eaqve de cauſa auctoritatem ſuam interpoſuit Innocentius ac vicinis Abbatibus negotium dedit componendae litis, et Epiſcopi in expenſas condemnandi. Qvod intelligi poteſt ex eiusdem ep. 122. l. XVI. Idem ille ſignificatur in epiſt. 191. l. II. cum dicitur provinciam Livonienſem ingreſſus, in verbo Domini prædicationis retia laxaſſe, apud Baluzium. vid. Albertus Cranzius Saxon. l. VII. David Chytraeus Chron. Saxon. l. I. Auguſtinus Eucaedius in ſerie Archiepiſcoporum Rigenſium. Addendi ſunt rerum Polonicarum ſcriptores, inter hos ſpeciatim Martinus Cromerus, l. VII. in Vladislao Laſconogo tradit, Albertum

inſti-

inſtituiſſe Ordinem, et tertiam partem redituum, qvi ad Epiſcopum Rigenſem pertinebant, attribuiſſe, ut barbariem ibi extirparet. Primus Livoniae Antiſtes fuit Meinardus. vid. Cranzius. Ex ſcriptoribus Polonicis Alexander Gvagvinus, ſeu vero nomine, Matthias Strykovskius, in deſcriptione Livoniae, Cyriacus Spangenbergius in ſpeculo Nobilitatis. Anno inſtitutae ſodalitatis reſpondet annus C. 1204. ut temporum rationes ſubduxit Balthaſar Ruſſovius. A qvo diſcesſionem facio cum populari eius Chriſtiano Kelchio, exploratae diligentiae viro, praeſertim in patriis rebus. Atenimvero praefuit ſodalitati Vinno decem et octo annis. Hi addantur ad propoſitum Chriſti annum 1205. qvo initium praefecturae Ordinis habuit Vinno. Inde conficiatur neceſſe eſt annus 1223. qvo ſublatus eſt Vinno, etiam Kelchio aſſentiente. Thomas Hornerus de annis nihil conſtituit, in qvi-

bus definiendis nullam operam posuit, animi anceps, et a chronologiae studiis alienus. H. Spondanus sequitur Russovium, Philippus Brietius in annalibus statuit annum 1205. Bernardus Iustinianus in historia Ordinum militarium posuit annum 1203. Alii annos Vinnonis et Volquini omittunt, eo quod sibi in vetere chronologia non constarent. Vt Matthaeus Praetorius, in Orbe Gothico l. II. c. 4. §. 6. Cyriacus Spangenbergius neutrum attigit, et seriem Magistrorum a tempore coniunctionis factae exorsus est, in speculo Nobilitatis, Germanico sermone edito. l. XI. c. 4.

Aliquanto post Voldemarus II.] Huic adversus Esthones, vicinosque barbaros pugnanti, signum victoriae divinitus datum traditur, cum vexillum, aquilae insigni distinctum, nec opinato ablatum amissumque esset. Hinc trepidare miles et dare se in fugam coepit. In hoc rerum

rum discrimine vexillum, albae crucis effigie praeditum coelo demissum, et Danis hosti cedentibus praelatum, instaurato certamine, nutantes confirmat. Sic prosperiori successu pugnatum, et viribus hostium dissipatis, victoria Valdemaro parta, ob eamqve causam ab Rege, coelestis beneficii memore, Ordo insignis Danici constitutus, et Danebrogae nomine appellatus fuit. Occasionem ei praebuit Ordo eqvestris, recens in Livonia constitutus, ut praemium navatae fortiter operae esset, nec minus alios admoneret, ut pari fortitudinis exemplo contra barbaros dimicarent, atqve his rebus ad bellum adversus Dei hostes excitati, victoriae Dei concessu beneficioqve partae memoriam renovarent. Vtrum vero vexillum illud, cuius rubra planicies crucis albae imaginem habuit, ex coelo devocandum, an ab urbe Roma arcessendum sit, pleriqve cum Io. Isacio Pontano dubitant, et a Pontifice, pro amore in

rem Christianam, Regi Valdemaro id svadente, submissum fuisse arbitrantur. Huc inclinat Thomae Bartholini animus, et auspicio coelesti rem gestam pleno pietatis sensu declarat, reperitis in hanc sententiam ab Eusebio, Socrate, Sozomeno, argumentis, in dissertatione historica, qvam de Eqvestri Ordine Danebrogico conscripsit. Postea hoc signum, qvod duobus in Dania seculis permansit, et religiose asservatum est, in bello, qvod Ioannes Rex cum Dithmarsis gesit, velut regni Palladium, fortuito inter manubias relictum ac deperditum est. Ordinem vero iniuria temporum neglectum, et vetustate obliteratum in lucem vindicavit nuper et restituit Rex Christianus V. Huius Valdemari, qvi Ordinem instituit, progeniem videre est apud Pontanum l. VI. rer. Danicar. Redeo ad Vinnonem, de qvo auctor historiae contractae tradit. Hic primus omnium Livonienses ex Idololatris Christianos, ex veris et immani-

manibus manſvetiores atqve humaniores reddidit. Idem extruxit illic arces, Segevoldam, Vendam, et Aſcherodam: multaqve ſecunda praelia fecit cum finitimis Rutenis, qvorum et Principem in acie trucidavit, et arcem Kokenhuſen expugnavit. Cum annos 18. tenuiſſet, Livoniae dominatum, una cum ſuo concionatore per inſidias cuiusdam praefecti Vendenſis occiſus eſt. Hucusqve Auctor. Qvo imperante dignitatem ſuſceperit, et cum vita amiſerit, non expoſuit idem, et chronologiam neglexit. Nam Philippo regnante eam ſuſcepit, qvi ſub id tempus, qvamvis Republica per novam Ottonis electionem turbata, legitime regnabat, leges ſanciebat, privilegia concedebat, et Imperii negotia expediebat. Regnante demum Friderico II. interiit Vinno, immani ſcelere neqvisſimi interfectoris ſublatus. Franciſcus Modius, vir ceteroqvin doctus, et literis politus, in libro de Ordinibus Eccleſiaſticis fatetur, nullo ar-

gumento, aut auctore qvicqvam sibi de Ordine hoc constare. Maiori post eum diligentia Ordinis illius origines perqvisiverunt Franc. Mennenius, et Aub. Miraeus.

AD *VOLQVINVM.*

Volqvinus.] Ab hoc Ordinis Magistro scribendi initium duxit Petrus Dusburgensis, Teutonici in Prussia Ordinis sacerdos qvondam et historicus, scriptor vetus, et auctoritate praestans. Chron. Pruss. p. III. c. 28. Hoc tempore, inqvit, Frater Volqvinus Magister secundus de Ordine militum Christi in Livonia. Ex qvo corrigendus est Andreas Mendo, qvi primum Ordinis Magistrum nominat Volqvinum, in libro de ordinibus militaribus q. 2. §. 14. Alii eum omittunt, ut Spangenbergius, qvi Magistros, qvemadmodum supra dixi, facta coniunctione, enumeravit. Se-

Secus atqve recenſet Io. Fr. Pfeffingerus in Inſt. I. P. l. I. tit. 21. Nihil enim ille tradit de Vinnone et Volqvino, neqve Theodericum poſt Volqvinum collocat, ordinemqve conturbat. Rectius auctor brevis adumbrationis Ordinum eqveſtrium, qvem alioqvi ſeqvitur, commemoravit. p. 76. Aliter ſeriem ordinavit Hornerus, cuius ſententiam non qveo approbare.

Vt coniuncti inter ſe atqve conſociati pugnarent contra barbaros.] Qvae coniunctio ne fieret, impediebat auctoritas Valdemari, ab Ordine Livonico alienioris: accedebat morum diſſimilitudo, qvae Ordini Mariae Teutonico diſplicebat. Idcirco eos coniunctionem petentes dimiſit Conradus Ottingenſis, et qvia multi Eqvitum Teutonicorum ſodalitatem diſſvadebant, ſententiam Magiſtri generalis expectandam duxit. Res vero ad exitum perducta non eſt, qvoniam Magiſter generalis nihil definie-

finiebat, ſed negotium illud cum Imperatore et Pontifice communicandum exiſtimabat, nec tamen laboris ſui fructum Volqvinus percipiebat. Demum ab exceſſu eius confirmatio impetrata eſt, et coniunctio, cum Ordo in ſententia perſtaret, approbata. V. vetus Chronicon Livonicum, cuius auctoritatem alii ſeqvuntur. Io. Caſpar Venator memorat, coniunctionem metu Regis Valdemari II. qvi Revaliam, et alia loca tenebat, factam: de origine Mariani Teutonici Ordinis p. 25. Sed illa certe non poſtrema fuit exorandae coniunctionis cauſa, ut maioribus viribus debellarent barbaros, potentiamqve Mariano Ordini haud invidioſam redderent, et ſuſpectam. Duobus ante fatale praelium annis, aedificare coepit arces Adzelam et Haſenpotam, et alia laudatu digna fecit, ſed ut magnam in bello vim fortuna habet, ſic in ultima expeditione, qvam contra Lithuanos ſuſcepit, interfectus eſt,

qvod

qvod mori, qvam fugere' maluiſſet. Hornerus de eo ſcribit. Qvindecimo (ita enim pro qvinto decimo legendum) anno, poſtqvam adeptus eſt Magiſterium, excesſit e vita (pugnans, et in acie occumbens) fuitqve auctor (A. 1234) anteqvam diem obiret, ut Ordo Enſiferorum militum Ordini Teutonicorum Marianorum inſereretur. Caeſus ab hoſte eſt A. 1238. Balthaſar Ruſſovius part. I. Chron. Livon. Hoc bis editum, ſemel Roſtochii in minori forma A. 1578. Iterum Barthi Pomeranorum A. 1584. qvae poſterior editio praeſtat. Vulgari et Teutonico ſermone ſcribitur Volqvin Schencke de VVinterſtädt, apud Chriſtianum Kelchium, et complures rerum Livonicarum ſcriptores. Sub hoc Magiſtro, volentibus et aſſentientibns Livoniae Epiſcopis, conditum eſt ius Eqveſtre, atqve in omnibus, praeterqvam Hariae et Viriae tractibus, qvi iure Danico utebantur, promulgatum.

AD

AD

HERMANNVM BALKONEM.

Hermannus Balko.] Hic ex Magiſtro Prusſiae provinciali factus eſt Magiſter Ordinis Livonici, et magna cum laude Magiſtratum gesſit, et Hermanni Salzenſis (de Salza) generalis in Prusſia Magiſtri auctoritate in Livoniam miſſus eſt, ut confirmat Petrus Dusburgius, Chron. part. II. c. 10. et part. III. c. 28. In veteribus libris et tabulis non Magiſter, ſed proviſor Prusſiae dictus eſt, qvia in Prusſia pro Magiſtro generali negotia Ordinis Teutonici adminiſtravit. Eo deinde in Livoniam profecto, opera imprimis Alberti Antiſtitis, et Theoderici atqve Engelberti Tiſenhuſiorum, Ordines in Livonia et Prusſia arctiſsimam ſocietatem conflarunt, et ita auſpicato coaluerunt. De anno mortis eius non convenit inter ſcriptores. Hartknochius ex Simone Gru-

Grunovio annum tradit 1238. Sed rationes perperam confectae sunt, qvia eo Volqvinus interiit, et Hermannus consequente anno dignitatem Ordinis in Livonia suscepit, et sex fere annis retinuit. Apud Petrum Dusburgium Chron. Pruss. part. III. c. 1. et deinceps usqve ad c. 28. Vbi scribitur Balck, et Balcke, in diplomate Casimiri Cuiaviae ducis Balko. Extant privilegiorum tabulae, qvas cum Magistro Prusiae generali subscripsit et confirmavit, nominatim illas, qvae ad ius Culmense spectant, in qvibus haud aliter scriptus reperitur. Russovius Valke, alii mutata initiali litera, Falcke scribunt. Ab Hornero, deducta voce, dictus est Valleke: Valcko a Chytraeo, a Thuano Valkus. Ego auctoritatem diplomatum seqvor. Michovius non recte distinxit, et nomen Balke Hermanno Salzensi perperam ascripsit l. III. c. 35. Nam genere, patria, et dignitate plurimum differunt, atqve in omnibus Prussorum

runi Livonorumqve monimentis distingvuntur. Qvi a me Salzenſis, a Claud. Barthol. Moriſoto Hermandus Saltzaus Orb. marit. l. II. c. 16. Ex eo Rutgerus Hermannides, in deſcr. Svec. p. 475. Vbi mendoſe excuſum eſt Salzans. Rectius ille venuſtiusqve Latina imitatione ſcripſiſſet: Hermannus Salzanus. Dusburgius Magiſtri generalis cognomen more Germanico ſcripſit, de Salza. Idem ſcribendi modus ſervatus eſt ab auctore inſcriptionis Lebuſſenſis. Sub hoc tempus, qvo Livonicus Ordo cum Prusſico ſe coniunxit, Hermannus Balko, ab Hermanno Salzenſi in Livoniam miſſus, et a Magiſtro Prusſiae generali Magiſter Livoniae provincialis conſtitutus. Eqvitum Teutonicorum habitum et inſignia ex Prusſia ſecum attulit, ac primus omnium uſurpavit. Cum adventaret Balko, et principatum Ordinis iniret, decimus tunc annus agebatur ab exceſſu Alberti III. Livonici, et ſpeciatim Rigenſis

ſis Epiſcopi, qvi Ordinem Livonicum inſtituit, et Vrbem Rigam extruxit. Arnoldus Lubecenſis l. VII. c. 9. Albertus Stadenſis Chronici A. 1198. et 1203. Cranzius Sax. l. VII. c. 14. Chytraeus, Ruſſovius, Schutzius, Hennenbergerus. Ad poſtremum Balko vivis exemptus eſt A. 1245. Temporum conſenſus hic eſt. Anno 1204. ut rationes putat Ruſſovius, ſive ut ego calculum pono, 1205. Vinno Magiſtratus ſui initium habuit. Decem et octo annos magiſtratum Ordinis geſſit, unde reliqva facile conficiuntur.

1205.
18.

1223. A. qvo interfectus eſt Vinno.
15. Tot annis praefuit Volqvinus.
——
1238. A. qvo ab hoſte caeſus eſt Volqvinus, et eodem anno electus Balcko, ſed cum A. 1239. primum in Livoniam veniret, et ad-

miniſtrationem auſpicatus eſt: proinde ſumendus eſt annus, qvo Epocha adventus Balkonis ſignatur. Sex autem annis hanc dignitatem tenuit Balko.

1239. 6.

1245. A. qvo idem Balko e vita excesſit.

AD

HENRICVM HEIMBVRGIVM.

Heimburgiorum familia natus] Aliis Hemberg et Hemborch, ſed in antiqvis rerum Germanicarum membranis lego, Heimburg et Haimburg. Th. Hornerus gentilitii huius et perantiqvi nominis ſcripturam pervertit, et rationes temporum conturbat, qvando Henricum de Hanenberg ſcribit, et in ſerie Magiſtrorum qvintum ponit. Omnino con-

contra libros veteres, editos, et manuſcriptas, in quibus ne uno qvem viderim, excepto qvartus numeratur, et anno, qvem ad oram ſignavi, initium ſuſceptae ab eo dignitatis definitur. Fuit enim aeqvalis temporum Conradi, Turingiae et Heſſiae Principis, Magiſtri in Prusſia generalis, et Alberti III. Epiſcopi, ac deinceps Archiepiſcopi, ut vetus ſcriptura habet, Livonienſis. Qvidam errore ductus, in Vernacula et brevi adumbratione rerum Livonicarum coniunxit Heimburgium cum Nicolao IV. Epiſcopo Rigenſi. Sed iſte praeſul de vita prius decesſit, qvam ad Heimburgium principatus Ordinis eſt delatus. Nihil gesſit, qvod in annales Livonicas relatum ſit, non vitio animi, ſed corporis admodum infirmi. Hornerus auctor eſt, non otioſam egiſſe vitam ſed omni ſtudio cives a feritate militari ad pietatis et humanitatis ſtudia revocaſſe, nec diu fuiſſe ſuperſtitem, et altero poſt ſuſceptam

reipublicae gubernationem anno, ſe in Germaniam contuliſſe.

AD *THEODORICVM GRONINGENSEM.*

AD principium] Apud qvosdam Dietericus, noſtrae ſcripturae propior, apud aliqvos Theodorus a Groningen, perperam a Gronen cognominatur. Longius enim abit Hornerus; Chytraeus non expreſſit cognomen. Sic et Koialovizius tantum dixit Livoniae Magiſtrum Theodorum. Hiſt. Lithuan. part. I. lib. 4. Inprimis haec ſeries et ſucceſſio recte conſtituenda eſt, qvam invertit Hornerus, et Theodericum praeponit Heimburgio (ita enim vocare debuit) qvi omnino Theodericum praeceſſit. Albertus Cranzius has, et alias res Livonicas non attigit, et ad chronica eius gentis lectorem delegavit, inter qvae extant vetus Ordinis

dinis chronicon, minime hic praetereundum. Chytraeus, qvi Cranzii historiam persecutus est, magis ad domesticos Livonorum annales se convertit, a qvibus interdum discesit Hornerus, errore qvodam, aut per incuriam, qvando Henricum Groningensem, Balkone mortuo, rerum in Livonia potitum censet, qvem ab Heimburgio proximum collocare debuisset. Longius abeunt, qvi Volqvino eum succesisse putant, idqve ex Spangenberg o, sed perturbate satis, commemorant, postea in viam, unde deflexerant, redeuntes, et relicta priore ac mendosa succesione, veram deinde et temporum monimentis consentaneam approbantes. Sunt, qvi eundem Magistrum a Gruneck, et aliter Henricum appellarum velint. V. Balth. Russovius. Th. Waisselius, Io. Casp. Venator, Caspar Ceumern, Chr. Kelchius, Matth. Praetorius, qvi Livoniam retulit ad Orbem Gothicum, ideo qvod Gothi antiqvissimis

temporibus ibi conſederunt, et habitarunt, ob eamqve cauſam citeriores et Orientales, ac recentiori vocabulo Cisbalthiani Gothi appellantur. V. infra not. ad dipl. Hic Magiſter primus bellum Curonis intulit, qvorum ultima mentio eſt apud Rembertum, Karolinae aetatis ſcriptorem, qvi vitam S. Anſcharii literis mandavit, ubi leguntur Chori, et eodem ſcribendi modo apud poetam hiſtoricum Gvaldonem. Chori enim in utroqve ſunt Curi, ſive Curoni. Ex Remberto repetit Adamus Bremenſis, de ſitu Daniae c. 223. Mecum ſentiunt et interpretantur Stephanius in notis ad Saxonem, et Loccenius antiq. Sveogoth. cap. VIII. Ad qvorum partes accedit P. Lambecius, et in eandem ſententiam exponit. Saxoni Sialandico ſunt Curetes, Livoniae populus, non Aetoliae, cuius libro X. Geogr. meminit Strabo. Curoniae tractus fuit Carſovia, qvod ex Dusburgio intelligitur, part. III. c. 80.

et

et ſeq. Sed Ptolomaei Caryones eo referre non auſim, qvamvis id vulgo faciant minus periti rerum Geographicarum ſcriptores. Neqve Paulus Eichornius antiqvas Curetum ſedes originesqve dextre inveſtigavit, hiſt. Lett. c. 2. Demum res Theodorici breviter ſtrictimqve complexus eſt hiſtoriae contractae auctor, qvum ſcripſit, qvae ſeqvuntur. Mortuo Hermanno, Theodorus a Gronen rerum potitus eſt, cuilibet ſuperiorum Principum belli pacisqve artibus par. Extruxit contra barbarorum irruptiones tres egregias arces, Goldingam, Curonam, et Ampoten: Lituanorum terram igni ferroqve depopulatus eſt, a qvibus crebra incurſione infeſtabatur. His peractis, ſe Magiſterio abdicavit: cum annos II. et ſex menſes reipublicae praefuiſſet, eſt in Prusſiam reverſus, ubi vitae extremum diem morte confecit.

AD

ANDREAM STVCKLANDIVM.

AD principium] Andreas a Stuckland dicitur Livonis, et Lithuanis scriptoribus, Hornero, a Stockland, Waisselio a Stauerland, Spangenbergio a Stauerland, aut Stockland. Matth. Praetorio de Stuckland, aut Stauerland. Minus recte auctori novissimae descriptionis Ordinum Eqvestrium, a Strickland. Res Lithuanicae ei plus laetitiae, qvam molestiae attulerunt, qvando Mendogus, ipso annitente, et Innocentio IIII. assentiente, atqve auctoritatem praestante, Christi sacra, et regia insignia suscepit: postea se abdicavit Andreas et Mendogus, non mediocri cum dolore Ordinis, ad ingenium rediit, et religioni Christianae nuncium remisit, vel maxime ideo, qvod eum effusae liberalitatis poeniteret. Itaqve donationem ab se factam rescidit,

dit, et Rusſiam, Samogitiam, Curoniam, Iavvieziam, regiones Cruciferis dono datas repetebat, ac vindicabat. Poloni addunt, totam Lithuaniae terram ea donatione comprehenſam. Michovius, et Alexander Gvagvinus, ad A. 1252. Sed erronee ibidem Gvagvinus ſcripſit, Henricum de Zalcza, ut ex ſuperioribus ad vitam eius animadverſionibus liqvet. Qvod non modo fit in nominibus, ubi maiorem id excuſationem habet, ſed etiam in temporum rationibus, ut paulo poſt, et alibi, qvum hunc fundum ingrediar, copioſe oſtendam. Illud curſim nunc qvoqve annotare pervelim, qvod ſupra omiſi, Fridericum Menium, ne tempora qvidem Alberti Buxhovedani adventus in Livoniam, et coeptae aedificationis Rigae Vrbis diſtinxiſſe, qvanqvam haec diſtingvere, et cognoſcere potuit ex Alberto Stadenſi, ad A. 1200. et 1203.

Ad Innocentium huius nominis IIII] Innocentium huius nominis qvartum, A. 1243. designatum Ro. Pontificem, et Coelestini IV. successorem, religionis cura, et disciplinae severitas commendant, qvem anno 1254. in Pontificatu Ro. secutus est Alexander qvartus, legatus qvondam in Poloniam Prussiamqve missus, pro Honorio, qvi hic obrepsit, scribendus. Sed vix est, qvi dubitationem tollat, utrum Innocentius IV. an Alexander IV. Mendogum sacris initiatum, in societatem Christiani coetus, et sinum ecclesiae receperit. Alii stant pro Innocentio, ut Russovius, alii pro Alexandro, ut Kelchius. In antiqvis Livonorum monimentis, qvae vetustas confecit, nihil reperio, qvod scrupulum evellat. Qvonam igitur anno res haec gesta sit, inqvirendum. Qvi enim annum 1252. supputant, non possunt non Russovio suffragari. Neqve adversae rationes sunt Koialovizii, hist. Lithuan. part.

part. I. l. 4. Consentiunt Michovius, et Alexander Gvagvinus. Idem ex Regesto Vaticano colligit H. Spondanus in Annal. Baron. continuatione. E diverso aliqvi signant annum 1254. eoqve et conseqvente anno 1255. totius negotii apparatum includunt, qvorum sententiam recensere volui, et excutiendam in aliud tempus reservare. Nam illud non miror, qvod in nominis scriptura historici variant: multi Mendocum, plures Mendogum scribunt. Qvidam Mendegonem, nonnulli Mendolphum vocant. Chytraeus appellat Mendeum, et Mendoguni. Ita vero auctor historiae contractae de Andrea fatur. Ipse Midonem (rectius nominasset Mendonem) Regulum, eiusqve uxorem (Martham) ab idololatria traduxit ad verum Christi cultum. Ac qvanqvam publicæ tranqvillitatis erat studiosissimus, tamen bello lacessitus, Lithuaniam et Samogethiam multis et magnis cladibus affecit. In Germaniam profectus

fectus est, sexto administrationis anno. Sub huius Magistratu instituta est Rigae metropolis, cui primus omnium praefuit Albertus eius nominis II. in serie Episcoporum Rigensium qvintus, in Ordine Archiepiscoporum primus.

AD *EBERHARDVM SEINENSEM.*

AD principium] More loqvendi Teutonico de Sein, de Seine, item de Seina, secundum alios de Stein, apud Russovium Waisselium, Spangenbergium, et Chytraeum. Vetеres libri omnem dubitandi molestiam mihi eripiunt, in qvibus familia comitum Seinensium, sive ut alii scribunt Seynensium, unde prognatus est, commemoratur. Ab initio principatus perfidia Mendogi conturbatus est, qvem videbat, collectis viri-

viribus, et excitis contra Ordinem Samogetis et Curis, ferociorem. Sacra enim deseruit, qvae simulatione, seu metu potentiae Ordinis susceperat, tanto nunc Germanis infensior, qvanto antea ad dandum promptior liberaliorqve. Cromerus l. IX. et Michovius eo, qvem supra dixi, loco. Post utrosqve Koialovizius hist. Lituan. part. I. l. 4. Ita prae se tulit religionem, et nihil eorum praestitit, qvae promisit, odiumqve texit, et aliqvanto post arma sumpsit, et populatione atqve caedibus crudelitatem explere conatus est, sed Magistro ad excipiendum impetum prompto, et in Samogitiam, ac deinde in Curoniam profecto, non ausus est ducere in Livoniam, sed Poloniae infesta signa intulit, et agrum late depopulatus est, ac praeda ingenti potitus, e regno excessit, et per vices rediit, remplisqve dirutis, Christianos suppliciis affecit, ut omne Christianum nomen deletum vellet. In historia contracta re-

ticetur Eberhardi cognomen, et ſummatim haec leguntur. Samogitas inferentes Livoniæ bellum, hic Eberhardus non minus feliciter, qvam fortiter propulſavit, ingentemqve praedam ex devictorum hoſtium ſolo egit. Sunt Samogitae, populi inter Livoniam, Prusſiam et Lithuaniam interiecti, ac medii: qvos olim Maſſagetas fuiſſe dictos, ipſa nominis agnatio indicat. Pari felicitate etiam debellavit Curoram, qvae vulgo Curlandia dicitur: unde nec minorem, qvam ex Samogitia, hominum et iumentorum multitudinem abduxit. Ingraveſcente aetate factus eſt valetudinarius: qvam ob cauſam relicta Livonia, ſe in Germaniam contulit, cum vix biennio rerum potitus eſſet.

AD

ANNONEM SANGERHVSANVM.

AD principium] Anno de Sangerhuſen. Aliqvi ſcribunt. Hanno de Sangerhauſen, forma loqvendi in Germania ſuperiori uſitata. Mendoſe a Michovio ſcribitur, Hanno de Saygerhauſen, l. III. c. 56. Nomen Annonis antiqvum, et ſaepe multumqve in tabulas Henrici IIII. Imp. relatum eſt, apud qvem Anno qvidam ſumma auctoritate valuit, et aetati eius regendae admotus, et in conſilio princeps, Archiepiſcopi Colonienſis dignitate praeditus, cum Adelberto Archiep. Bremenſi Conſul (id eſt, conſilii publici moderator) ab Adamo Bremenſi nominatur. l. III. c. 36. Ideo Regis Auguſti, adhuc impueris dilectus Magiſter, hoc eſt, vitae et conſilii moderator, audit. Diploma a Madero editum A. 1062. cum qvo annus Henrici IV. aetatis ſeptimus

mus congruit, est confectum. Regis pueri sane tutor erat ille Vbiorum Antistes, qvod ex Adamo, Lamberto Aschafnaburgensi, Hermanni Contracti Continuatore, Sigeberto, Ottone Frisingensi, et Vrspergensi patet. Alius Anno Coenobiarches, sive Abbas memoratur, de qvo in rebus Alemannicis legendus est Goldastus. Longius abit auctor Chronici Prussici, Latino sermone conscripti, qvi hunc Livonici Ordinis Magistrum nominavit Haymonem. Sed rectius in diplomatibus, et chronicis aliis Anno dicitur, et propter fortitudinem, etiamsi eum fortuna interdum destitueret, a scriptoribus collaudatur. Qvamobrem ex Magistro Livoniae provinciali, factus et renunciatus est septimus Magister Prusiae generalis, apud Dusburgium part. III. c. 113. Qvod anno 1261. accidisse, tradit Russovius. Annum 1258. ponit Kelchius. Caspar Hennebergerus annum signavit 1263. Qvae rationes cum Prussorum anna-

annalibus conveniunt, et mihi omnino probantur. In serie Magistrorum Livoniae sextus a Balkone, VIII.a Vinnone numeratur, qvod propter scriptores observari par est. Auctor historiae contractae haec de eo literis consignata nobis reliqvit. Vir bellicosus, Samogitas adortus est armis, cum in fide non permanerent. Nam barbari Christianos odio habentes, ad qvamvis occasionem subinde deficiebant. Idem cum Semegallis feliciter pugnavit, semel atqve iterum, sed postea adversante fortuna, magnam ab illis cladem accepit: fortunae tamen beneficio, ad altiorem dignitatis gradum ascendit. Nam is magnus Prussiae Magister electus est: tres in Livonia, duodecim vero annos in Prussia rerum potitus est, ubi et multa bella gesit, contra Mestovinum ducem Pomeraniae. Ex hoc scriptore corrigendus est Hennenbergerus, qvi Annonem qvinqve annis dignitatem Magistri provincialis in Livonia

tenuisse narrat. Cum Hornero consentiunt Russovius et Chytraeus. Vulgo Annonem per Ioannem exponunt, qvod affirmare nolim. Ab Annone Annenberga aedificari coepta, nusqvam dicitur Ioanniburgum. Sed hoc non est magni momenti. Huius temporibus maxime fama operum bellicorum in Prussia floruit Ditericus Marchio Misnensis, de qvo alibi in historia Saxo-Misenensi tradere conabor. Vita ceteroqvin Annonis Archiep. Colonienſis conscripta est ab Anonymo qvodam Monacho Sigebergensi, et postea in vitas sanctorum a Laur. Surio relata, M. Decembr. ad A. 1040. Eius qvoqve meminerunt Hermannus Contractus, Lambertus Aschafnaburgensis, Marianus Scotus, Sigebertus Gemblacensis. Sed haec aliorsum spectant.

AD

AD

BVRCHARDVM HORNHVSIVM.

AD principium] Burgardus Magiſter, ſine adiecto cognomine, vocatur a Dusburgio part. III. c. 81. Perperam a Michovio, Henricus de Hornſnuszen l. III. c. 55. A Gagvino de Hornshuſen. Koialoviz us Dusburgium ſecutus, Burgardum, ſed addito, minusqve accurate ex aliorum chronicis expreſſo cognomine Horsnuſen, hiſtor. Lituan. part. I. l. 4. Fiducia virium, et offenſione Curonorum res ſuas perdidit, et iſtorum ſeceſſione facta damnum accepit et cladem. Qvo caeſo, Lithuani erexerunt animos et crudeliter graſſati, agrumqve populati ſunt, Pruſſi qvoqve durius habiti, ab Ordine deſciverunt, et manus ſuas ſangvine Chriſtianorum imbuerunt, priſtinamqve crudelitatem revocarunt. De Adelberto, ut occiſus fuerit, in lo-

co dixi. Post Adelbertum Bruno interfectus est, cuius supplicium Ditmarus l. VI. commemorat, ex eoqve repetit bona fide Surius in vitis Sanctorum, eo in tomo, qvi October inscribitur, p. 295. Praeter Ditmarum id habet Marianus Scotus in chron. ad A. 1008. Diversus est Bruno Episcopus, qvem Ottogarus III. Boiemiae Rex, sec. XIII. secum in Prussiam adduxit, ut Prussos docendo flecteret, et sacris denuo initiaret. Apud Michovium lib. III. c. 55. Addendus est Dusburgius part. III. c. 70. Ab hoc Brunone illis temporibus Brunsberga nomen adepta est, apud Ioach. Pastorium, lib. II. c. 13. Atenimvero qvae ad Burchardum pertinent, ea in epitomen redegit historiae contractae auctor, qvando eum qvidem animosum, sed nimis temerarium, belli undiqve gerendi materiam qvaesiviſſe, concitatis in se tribus ferocissimis gentibus, Semegallis, Lituanis, et Samogitis, memorabili praelio victum, et cum 172. fortissimis

tisſimis Mariani Ordinis militibus in acie trucidatum affirmat. Praelium vero infauſtum, et Ordini prope exitioſum, in campis Durbinenſibus commiſſum eſt, in qvo cecidit Burchardus Magiſter: cum eo Henricus Böckelius, Marſchalcus Prusſiae dictus, a Koialovizio Botel cognominatus: praeter hos centum et duo ac ſeptuaginta (ſecundum alios centum et qvinqvaginta) Ordinis Eqvites, gregarii plures, qvam ut numerus eorum iniri poſſet. In anno deſignando ſcriptores differunt, Michovius 1260. Ruſſovius 1264. Livonos et Lithuanos pugnaſſe, ait. Locus, ubi pugnatum eſt, Durbinum in Curonibus ſitum, appellatur. Poſt hanc victoriam Mendogus Chriſtianos omnes, qvos in poteſtatem redegit, crudeliter occidit. Res manu captas, bona, fortunas, pecora abduxit, aut abegit. Sub haec tempora celebratur memoria Regii Montis ad Progoram flumen, vulgo Pregelam

vocant, qvem recens extructum, et propter honorem Ottogari, qvi Prussis laborantibus subsidio venerat, hoc nomine appellari coeptum, annales Prusici confirmant. Dusburgius part. III. c. 71. Michovius l. III. c. 54.

AD *GEORGIVM EICHSTADIVM.*

AD principium] Hunc, uno excepto, omnes habent, Livonici aeqve ac Prusici scriptores a Vinnone X. a Balkone, sub qvo Ordinum coniunctio facta est, VIII. commemorantes. Praeteriit eum ac praetermisit in Chronico Thomas Vaisselius, qvod ceteroqvin ex veteri Ordinis Chronico expresit. Simile aliqvid in Prussorum Chronicis venire usu putant, qvae Comitem Hohenloicum inter generales Magistros omittunt, ut censet Hartknochius, qvi argumento sigilli, qvod infra dilui, con-

contrarium defendit. At si veterum testimoniis standum est, omitti debet is, qvem non agnoverunt Chronographi veteres, neqve in hunc numerum retulerunt. Nam Petrus Dusburgius, sacerdos Ordinis, non potuit ignorare seriem et successionem Magistrorum, qvorum alii post alios Ordini praefuerunt. Huius auctoritatem secuti sunt Vaisselius, Schuzius, et alii, excepto duntaxat Simone Grunovio, qvi neqve in successione, neqve in temporum rationibus sibi constat. Venator merito dubitat, p. 40. et 41. Alioqvin misera haec, et Cruciferis luctuosa fuere tempora, teste etiam Stanislao Sarnicio, rerum Polonicarum scriptore. Nam in Prussia pariter ac Livonia res male gesta est, clades etiam, submisis ex Germania auxiliis, a Mendogo illatae, oppida capta, et exusta, templa pasim igni deleta, et sacra vasa furore barbari militis polluta ac direpta. Nec felicius in Natangia, Prusiae tractu, cum ho-

ſte dimicarunt Redernius et Barbienſis, ductores copiarum egregii et fortes, ſed profligati, et in acie caeſi. Idem Bentheimenſi uſuvenit, teſte Dusburgio, part. III. c. 86. At nomina eorum dynaſtarum et Comitum mendoſe ſcribuntur, ut de Reyder, pro de Redern, de Bilen, pro Bentheim, Barboigienſis, pro Barbyenſis, aut de Barby. Qvod patebit, ſi inſpiciantur et legantur Dusburgius, Michovius, Koialovizius, in ſcriptura Teutonicorum nominum plus ſemel lapſi. Mirum eſt et memorabile, Georgium Magiſtrum contra Lithuanos nunqvam proſpere pugnaſſe, ſed contra Oeſelienſes meliori fortuna uſum fuiſſe. Auctor hiſtoriae contractae ſtrictim haec reddit. Cum belli fortuna ipſius (Georgii) votis non reſponderet, facta cum Lituanis pace, arma in Ozelienſes convertit, qvi poſt illam Livonum cladem in Lituania acceptam, a religione Chriſtiana defecerunt. Adverſus hos bellum geſſit multo felicius,

eius. Nam brevi insulam cepit, Christiqve cultum illic restituit, qvinto administrationis anno. Imo, rationibus meis convenienter, se abdicavit Magistratu, tertio administrationis anno, cum post Popponem, qvem mendose aliqvi Pomponem scribunt, Anno Sangerhusanus Magistri generalis nomine Ordini praeesset.

AD *VERNERVM BREITHVSIVM.*

AD principium] Aliqvi commutato eius cognomine, scribunt, de Frizhausen, ut Spangenbergius et Vaisselius: in eo fere omnes consentiunt, biennio res praeclaras et magnas gessisse, etiamsi admodum senex esset. Mendogus enim, ut Prussos ad defectionem solicitavit, ita Russos et Samogitas foedere sibi coniunxit, ac belli socios habuit. Vtrosqve fugavit Vernerus, et Livoniam

periculo liberavit. Rusſi qvidem Torpatenſium fines ingreſſi, a nullo maleficii genere abſtinuerunt, qvibus arx Torpatenſis, praeſidio in ſpem auxilii erecto: Vernerus reſiſtebat, hoſtem abſcedere coactum, in Rusſiam usqve, extremos eius manipulos carpens perſeqvebatur. Qvo tempore Samogitarum princeps erat Troynatus, qvi vulgo Tramat dicitur, vaſtandi Pernavienſis agri occaſionem arripuit, et conficiendae eius rei, nullo impediente, facultatem habuit, totumqve Vikiae tractum diripuit, et incolas expilavit. Sed Verneri conſilio praeda omnis Troynato prope Dunemundam erepta: noctu pugnarum eſt, cum luna pernox pugnantibus proſpectum non adimeret. Dux, profligato a Livonis exercitu, dilapſus ad Mendogum profugit. Vernerus paulo poſt cohortes ex labore refectas in Curonorum agros immiſit, et inter diruta regionis illius caſtella, Durbinum imprimis ſolo aeqvavit.

Ita

Ita Livonici annales tradunt. Historiae contractae auctor paulo in Vernerum iniqvior, mollem vocat, et neglectae reipublicae accusat, in eoqve a ceteris scriptoribus dissentit. Aetate qvidem provecta, sed corpore voluptatibus minime effoeto erat. Certe nihil non agebat, ut milite, commeatu, ac rebus necessariis Livoniam firmaret. Posteaqvam deinde, viribus cura et labore confectis, langvere coepit, prudens Magistratu abiit, ne ultimis vitae annis nomen obscuraret.

AD

CONRADVM MANDERNENSEM.

AD principium] Sunt, qvi de Wandern cognominatum putent, interhos sigillatim Matth. Praetorius, et auctor descriptionis Germanicae Ordinum Eqvestrium. Hornerus a Wundern, Russovius, Chytraeus, Spangenbergius, Vaisselius,

lius, Schutzius, Kelchius, veteres libros ſecuti, rectius ſcribunt, a Mandern. Caſpar Ceumernius ſcribere maluit, a Meden.

A fratris filio.] Troynatus Mendogo Lithuaniae Regulo manus intulit, ac ſcelere, et caede Mendogi, duumqve eius filiorum Ruclii et Rupicae, Lithuaniam occupavit. Tertius enim, qvi Volſtinicus, ſive ut alii ſcribunt, Voyſielcus dictus eſt, antea patris in Ruſſia obſes, ritus Chriſtianos retinuit, et iram eius, cum ſacra mutaret, ſubveritus, in Ruſſiam fugit, et ordinem ſacrum profeſſus, pie ibi religioſeqve vixit. Poſtea Mendogo interfecto, Theophilum propinqvum et conſobrinum ſpecie officii et amicitiae circunventum Troynatus occidit, nec multo poſt eodem mortis genere periit, qvo ſublato, Volſtinicus ex collegio religioſorum hominum evocatus, et omnium procerum ſuffragiis Lithuaniae princeps eſt renunciatus. Hunc Leo, Ruſſiae dux, per cauſam redin-

redintegrandae pacis ad se invitatum, ac ideo nihil timentem, et paucis satellitibus stipatum, ac fiducia benevolentiae inermem, ferro submovit. Qvibus rebus ducatus Lithuaniae ad pristinam gentem familiamqve, cui ereptus erat, postliminio rediit, et in ea ad Volstinicum usqve est continuatus. Ita Svintorogus, Vtenis filius, paternum et hereditarium Lithuaniae principatum, qvem Ringoldus tutor ei per iniuriam ademerat, recepit, qvi ea de causa Vtenides a Koialovizio vocatur. Vithenes a Gvagvino dicitur, ex antiqva, ut idem censet, Kitaurorum, qvos a Romanis ducit, familia oriundus, scriptorum Polonicor. t. II. p. 385. Gvagvinum seqvitur Hieronymus Henninges, qvarti tomi parte postrema p. 319. Post utrosqve Albertus Wiuck Koialovvizius histor. Lituan. part. I. lib. 4. et l. 5. In horum ducum progenie investiganda nihil elaboratum reliqvit Nicolaus Rittershusius. A Vithene initium

tium duxit Chytraeus, ſed multas qvae ex Lithuanicis annalibus ſupplenda ſunt, omiſit.

Non deſeruit.] Profecto non deſeruit, eo animo, ut neglectam, et capite deſtitutam vellet rempublicam, ſed reliqvit, qvia vires voluntati eius non reſpondebant. Verbum deſerendi proprie de iis dicitur, qvi clientibus patrocinium praeſtant, ut ex Donato, veteri explanatore, conſtat. Ego ex hiſtoriae argumentis ſubiicio, Conradum exaedificaſſe Mitoviam, Curoniae vulgo, et interpretatione civilis imperii (regno tamen Poloniae nunc obnoxii) attributam, etſi non ignoro, accurate loqvendo, ſecundum locorum menſuras, qvibus fines cuiusqve regionis Geographica ratione definiuntur, ac diſtinguuntur, Mitoviam Semgalliae ditione contineri. V. Salomon Henningus in Chron. Livon. et Nic. Helduaderus in Chronol. circuli Balthici. Hoſnerus pro Mitovia minus recte Nithoviam ſcripſit.

AD

AD

OTTONEM RODENSTEINIVM.

A principio] Omnes fere consentientes scribunt, a Rodenstein, perpauci a Rotenstein, ut Cyr. Spangenbergius. Cognomen eius silentio praetermisit Th. Hornerus.

Episcopus Lealensis] Huic nomen fuit Hermanno, qvi in acie vulnus accepit, et socium periculi ac pugnae habuit Fridericum, Torpatensem Episcopum, qvem in ea dignitate praecesit Alexander, de qvo in contextu operis dixi. Praelium Ottoni Magistro fatale, A. 1274. in glacie commissum est, qvo tempore Ericus VI. Daniae Rex, Sigefridum in Esthoniam misit, ut praefecti ac praesidis munus ibi administraret. Haud recte a Pontano Ordinis Magister dictus est, hist. Dan. l. VII. Praeter hunc legendi sunt Russovius Chron. part. II. Koialovizius hist. Lit. part. I. lib. 5.

Vena-

Venator de Ordine Mariano p. 55. Kelchius part. III. Hornerus Moſcovitanum hoc bellum nominat, in qvo tamen non Moſchi, ſed Lithuani et Samogitae Livonorum hoſtes fuerunt, et in glacie, qvod memorabile eſt, adverſis veſtigiis ſtantes pugnarunt.

AD *ANDREAM VESTPHALVM.*

AD princip.] Pleriqve eum, praetermiſſo cognomine, literis mandarunt, et, qvod miror, ipſe Ruſſovius, praeterea Hornerus, Chytraeus, praetorius, et complures. Recte vero Chriſtianus Kelchius, de Weſtphalen, expreſſit, Latine Koialovizius extulit, qvae familia etiamnum in Veſtphalia gentilitiis inſignibus et fama floret, atqve hoc tali cognomine appellatur. V. Sibmacherus

rus de armis gentilitiis oper. German. part. I. p. 190.

Vndiqve obrutus.] Idem huic, qvod proximis plerisqve Magiſtris contigit, qvum ruerent in praelia, et fortius pugnarent, qvam cautius, priſtinosqve mores cum fortuna mutarent. Et Andreas qvidem primo adminiſtrationis anno interfectus eſt, ſub id tempus, qvo in Prusſia adhuc ſummam rerum tenebat Anno, de qvo ſupra dixi, cuius auſpicio multa Teutonicis Eqvitibus ſecunda evenerunt, praeſertim ab anno 1272. Qvod confirmant tres pugnae, apud Chriſtburgum, Braunsbergam et Brandenburgum, victoria Ordinis inſignes. V. poſt Dusburgium, C. Schuzius lib. I. Chron. Pruſſ. Vbi ſtatuit, cognomen Andreae iniuria temporum obliteratum, ſed minus recte, ut antea ſubmonui. Hennenbergerus in commentario ad tabulam Geographicam Prusſiae, p. 370. Vbi Annonem contra, qvam ego ſentio, per Ioannem ex-

ponit. Neqve illud certius eſt, qvod Annonem retulit inter duces Brunſvicenſes, cognomine de Sangerhauſen. Ieiune admodum, contra pragmaticam ſcribendi formam, et contra tabulas genealogicas domus Gvelficae, qvae nullum habuit Annonem, nec propaginem eius nominis ab arce, oppido et agro Sangerhuſano ductam. Teſtimonia ex Albino, ac Buntingio allata tantum confirmant, caſtrum, tractumqve Sangerhuſanum, qvem Magnus Torqvatus vendidit, a Friderico Strenuo emptum, et cum Thuringiae ditione coniunctum, in qvo Sangerhuſanos Eqvites, Ducibus Gvelfis qvondam devinctos, conſediſſe qvis colligat, non tamen hoc indicio duces ab eo loco dictos evincat. Multo minus hanc ſententiam firmant inſignia, qvae ratione eius dynaſtiae competunt, et inciſa memorantur in ſigillo Annonis, non tamen ut Ducis Gvelfici, ſed ut provincialis tantum, et beneficiarii Clientis, certe nomen

men titulumqve ab eo tractu duces ſumpſiſſe, et diverſam inde propaginem conſtituiſſe, non demonſtrant. Hartknochius nihil qvicqvam definit, at Fridericum Strenuum ex vernaculo Hennenbergeri, qvo commentarium ſcripſit, ſermone vertit, et haud convenienter elogio illius Principis, aſperum, reddit. Ad Dusburgium part. III. c. 13. Andreas ceteroqvin Magiſter, anteaMarſchalci titulo, inPrusſia fortitudinem ſuam comprobavit, ſed qvum ſolo Prusſico excesſit, ſimul fortuna ſe ab eo avertit. Cum huius temporibus congruit Conradus Tierbergius, Magiſter Prusſiae provincialis, de qvo legendi Dusburgius, et Hennenbergerus in parvo Chronico Germanico. Hac tempeſtate celebratur Ioannes Lunenſis (de Lunen) II. Archiepiſcopus Rigenſis.

AD

VALTHERVM NORDECCIVM.

AD principium] Varie ſcribitur, plerunqve a Nordeck, et Nordeke, rarius a VVordeck, qvi opinione virtutis inter ſuos eminuit, et ob Samogitas ac Semgallos aliqvoties devictos, titulum Victorioſi partum, honeſtis, et munere ſuo dignis laboribus retinuit, atqve ad poſtetransmiſit. Nulli tunc inteſtini motus erant, nec vires Ordinem deficiebant, qvibus ſe defenderet, ac hoſtes profligaret. Ex plerisqve arcibus ligneis fecit lapideas, nec ignavam, neqve inermem, iuventutem eſſe voluit, et praemia fortibus conſtituit, bonaqve exempla prodidit, ac revera inſtauravit ſuperiorum temporum felicitatem. Semgalliam cum Collegio Patrum Rigenſium diviſit, et mira qvadam moderatione id fecit, ne principem antiſtitum odio et terrore a ſe alie-

alienaret. Qvatuor duntaxat annis Magiſtratum geſſit. Auctor hiſtoriae contractae more ſuo breviter tradit. Semegallos tanta clade affecit, ut omnes in ipſius ſervitutem redigerentur. Dimidiam vero partem provinciæ bello acqviſitæ (Semgalliae) obtinendam ipſe concesſit Canonicis Riganis. Suffragatur ei Russovius, qvem recentiores ſeqvuntur. His temporibus Rex Daniae Ericus dominum ſe, et eo etiam peregrinationis cauſa abſente, Margaretha dominam ſe Eſthoniae, poſteri autem Reges Eſthoniae duces ſe ſcripſerunt, id qvod ex collatis eorum diplomatibus ſaepius animadverti, apud Vitfeldium, Pontanum, aliosqve.

AD

ERNESTVM RASBVRGIVM.

AD princ.] Diversa cognominis scriptura liqvet ex Chronicis, aliis a Rosburg, Vaisselio a Rasuburg, Spangenbergio a Rasperg, Chytraeo mendose, a Rashorch, Ceumernio Rosborch, scribitur. Qvod cognomen ab aliis praetermissum est, nominatim ab Hornero. Nomen qvoqve Magistri variat, Ornestus enim a Dusburgio dictus est, part. III. cap. 196. In veteri Chronico vernaculo Ernst, qvod retinent Russovius, Schuzius, et domestici scriptores.

Elertus.] Sive ut aliqvi vocant, Elardus, qvi Revaliae pro Rege Erico VI. Esthoniam administrabat, idem ille, qvi ab historiae Lithuanae scriptore dicitur Elchardus. Alius enim est Erlandus Lundensium in Scania Archie-

Archiepiſcopus, apud Vitfeldium. Neqve is eſt Gilardus, qvo qvidem nomine alterum eius belli ducem déſignat Koialovizius. Magnum illud praelium A. M CC LXXIX. VII. Non. Mart. commiſſum eſt, in qvo duces militiae erant Erneſtus et Elertus, qvorum iſte interfectus, hic ſauciatus eſt: in eodem Eqves Ordinis Henricus Tiſenhuſius, (Koialovizio Tyzenhauzen) qvi vexillum praetulit, ad internecionem caeſus. Vnus ergo dux in ea pugna deſideratus eſt, qvod Dusburgius confirmavit his verbis. Fratre Orneſto (Erneſto) Magiſtro terræ Livoniæ ab infidelibus occiſo, et qvae ſeqvuntur. Elertus, iuncti Danorum exercitus ductor, ſe recepit. Koialovizius tamen de Livonis tradit, non victoriam modo, ſed et duces amiſiſſe, inter qvos ab eo numerantur Magiſter Livoniae Erneſtus, et Gilardus, qvemadmodum hic ab eo nominatur, Comes, atqve ex ipſo Crucigerorum Ordine ſexaginta ſeptem eqvites.

Annales domeſtici referunt, unum et ſeptuaginta caeſos. Plures qvam ſeptuaginta trucidatos ſcribit hiſtoriae contractae auctor. Gilardus ille dici non poteſt Gerardus Holſatiae Comes, qvi praelio non interfuit, neqve Ordines Danicos duxit. Hiſt. Lituan. part. I. l. 5. Cum eo legendi et conferendi ſunt Ruſſovius, et poſt eum Venator, lib. cit. p. 60. Per id tempus Eſthones, qvi ſub Danorum imperio erant, tributi genus nomine ſuorum iugerum ſolvebant, qvod culmetas vulgari et patrio ſermone appellare conſverunt. Id nominis vero gloſſaria Spelmanni, Dufresnii, et VVatſii non habent.

AD
CONRADVM FVCHTVANGIVM.

AD princ.] Petrus Dusburgius eum vocat de VVuchvvangen, Chron. part. III. c. 196. Hornerus ab

ab Vtvvengen, Ruſſovius de Fuchtevvange, veteris Saxonici ſermonis exemplo ac imitatione. Saxones noſtri, et Germani ſuperiores, de Feuchtvvangen, qvos ſeqvuntur Spangenbergius, Venator, Kelchius, Praetorius, auctor noviſſimae deſcriptionis Ordinum Eqveſtrium, poſt eumqve Pfeffingerus. Is eodem anno, qvem ſignat Dusburgius, MCCLXXX. et Livoniae, et Prusſiae Magiſter provincialis factus, et ab Hartmanno Comite Heldrungenſi, eodemqve Magiſtro Prusſiae generali, creatus eſt, ſed propter difficultates belli Samogitici ceſſit munere, qvod in Prusſia geſſit, ac Livonibus tuendis omnem curam impendit, qvantumvis ſtrenue, tamen non feliciter ſatis. Hornerus inglorium interiiſſe, memoriae prodidit, ſed geſti ab eo honores, et ſuſceptae expeditiones contra indomitos et praeferoces Samogitas ac Semgallos, animum minime ignavum, neqve abiectum et humilem teſtantur.

ſtantur. Mortuo deinde Burchardo Schvvendeno, generalis Prusſiae Magiſter deſignatus, atqve in eius, poſtqvam ſe abdicavit, locum pervenit Gvilielmus Schurburgius: in dignitate provincialis Magiſtri Prusſiae ſubrogatus eſt Mangoldus Sterenbergius. Dusburgius part. III. cap. 198. et 199. Caſp. Schuzius hiſtor. rer. Pruſſ. l. I. Hennenberger in parvo Chron. qvo provinciales Prusſiae Magiſtros recenſuit breviter, ac deſcripſit. Hic Magiſter exaedificavit arcem Mariaeburgenſem, ubi deinceps Magiſtrorum Prusſiae generalium ſedes conſtituta eſt, auſpicio Sigefridi Fuchtvangii, XII. Magiſtri generalis. Dusburgius part. III. c. 203. Hennenbergerus in minori, qvod de Prusſiae Magiſtris inſcribitur, Chronico. In hiſtoria contracta lego, coortam his temporibus ſeditionem apud Semegallos, in qva arx, qvae a munitione nomen tulit, et Feſta dicta eſt, everſa ac diruta memoratur. In eadem,

per-

pergit auctor, arce trucidati sunt XV. milites Mariani cum omnibus aulicis. Religio qvoqve Christiana per eandem seditionem e tota Semegallorum ditione exterminata est.

AD *GVILIELMVM SCHVRBVRGIVM.*

AD princ.] Hunc qvidam scribunt de Schurborch, a qvibus aliqvi propius absunt, nonnulli longius abeunt, isti de Syersburg, hi de Emsdorff appellatum putant. Ab Endorff Chytraeus, vernaculo sermone Schuzius VVilleke de Schurborch pronunciavit.

Pelussa qvidam.] Ab antiqvis Lithuaniae ducibus originem duxit, qvi patria profugus, ad Mariani Ordinis amicitiam se adiunxit, et Vitenem novum, ac nuper electum Lithuaniae ducem, auxilio et societate Teutonicorum

corum Eqvitum evertere conſtituit, et primarios eius gentis proceres, a qvodam convivio exceptos, omnes ſecuros et hilares oppreſſit. Haec cauſa magnorum motuum et bellorum fuit, de qva legendus eſt Koialovizius hiſt. Lit. part. I. l. 6. Qvod praetermiſit Ruſſovius, neqve attigit hiſtoriae contractae auctor, qvi reliqva ſummatim complexus, haec tradit. Hoſtis bello perſecutus eſt Semegallos, qvibus ſubactis, montem apud eos ſacravit, religionis ergo. Erat autem ſacratus mons, qvidam collis, in qvo crux erat erecta, circa qvam vulgus ad ſacras conciones et precationes conveniebat. Item tres alias arces condidit Volmariam, Burtenicam et Tricatam. Eccleſiam qvoqve Vendenſem cum Ioanne Archiepiſcopo Rigenſi ædificavit. Cum vero propter commeatum a Semegallis denuo rebellantibus interceptum, iniqvo loco dimicare cogeretur, ab illis victus et cæſus eſt, ſexto adminiſtratio-

tionis anno. Trium arcium, ab eo conditarum, mentionem qvoqve intulit Ruſſovius, poſt eum Kelchius, qvi addit, primam earum, cui Volmariae nomen eſt, a Voldemaro appellatam, auctore ſententiae Pontano. Qvae res bene ſe habet, ſi oppidum, cuius ille fundamenta iecit, ab arce, qvam Schurburgius extruxit, diſtingvatur.

AD
CONRADVM HERZOGENSTEINIVM.

AD princ.] Hornero idem ille eſt Cono a Schnikenſchot, Cono qvidem, ſive ut aliqvi ſcriptitant, Cuno, ad veterem loqvendi morem accedit, ſed Gutradus pro Conrado, veteris Tiotismi exemplo defendi non poteſt. Chytraeus antiqvae Saxonum lingvae retinens ſcripſit, ab Hertogenſtein, qvod boni ominis

ominis fuit cognomen, qvando felicitate priores Magiſtros anteivit.

Vlciſcendae iniuriae.] Schurburgii in acie caeſi parentavit manibus, et animo promptus, et re bellica paratus, Samogitas denuo ſub iugum miſit, arces eorum diruit, et moles ac munimenta ſolo aeqvavit, Ratenam et Sidropiam evertit, atqve eo iure uſus eſt, qvo antea Lithuani, qvi Rasburgio Duneburgum aedificanti bellum intulerunt, ut operas diſturbarent, et arcem aedificari coeptam deiicerent, qvam finium Lithuanicorum rationes non ferrent. Ita caſtigavit vicinorum inſolentiam, et Doblinum Hornhuſii temporibus amiſſum recuperavit, cum deliberationes maturae, auxilia tempeſtive comparata, milites non corrogati, ſed lecti, ad pugnam potius, qvam ad praedam irent, ducemqve fortem, et diſciplinae militaris vindicem ſeqverentur. Epitomen rerum ex animi ſententia geſtarum fecit auctor hiſtoriae contractae,

tractae, praesertim qvum ad vetera et vernacula gentis Chronica respexit. Hic ferociam Semegallorum compescuit, qvi caede Gvilelmi (Schurburgii) insolentiores facti, Marianis militibus insultabant, templa Christianorum profanabant, agros et villas direptione, incendio et caede divexabant. Hos magna clade affectos, durissima servitute oppressit, omnesqve eorum munitiones destruxit, qvo nullam recuperandae libertatis spem haberent. V. Russovius, Schuzius, Hennenbergerus, Koialovizius, Venator, Kelchius, qvi haec satis explorata iuxta cum aliis confirmant.

AD

AD

OTTONEM HOGENBACHIVM.

AD princip.] Apud Chytraeum et Schuzium Botho ab Hogenbach, apud Ruſſovium ſervato cognomine, Boltho, eodemqve modo apud Hornerum, niſi qvod omiſit cognomen. Chriſtianus Kelchius Ottonem ab Hogenbach ſcripſit, qvam ſcribendi formam ſervare volui, eamqve a Ceumernio ſervatam memini, qvamvis Boltho in veterum monimentis crebro legatur. Longius recesſit Spangenbergius, Heroldum de Hombach appellans.

Emendata cladibus ferocia.] Finitimi Samogitae iam domiti, et Ruſſi ac Lithuani exterriti, Pruſſi qvoqve bello, qvinqvaginta tribus annis geſto, plane ſubacti qvieverunt. Ruſſovius part. II. Dusburgius part. III. c. 216. Ex huius emendato codice corri-

corrigendi ſunt Schuzius et Micraelius, qvorum iſte belli Prusſici annos qvatuor et qvinqvaginta, hic e diverſo ſex et qvinqvaginta ſupputavit. Hiſtor. rer. Pruſſ. l. I. p. 42. et Chron. Pomer. l. II. p. 276. Per id circiter tempus Magiſter Prusſiae generalis fuit Burchardus de Schvvenden, qvem Michovius mendoſe vocat de Svvaden, lib. III. c. 62. Magiſter autem provincialis extitit Conradus a Thierberg. At Livonum ambitioſis conatibus fortuna deinceps adverſata eſt, cum pro iure vim et potentiam uſurparent, et vicinorum Livoniae praeſulum fortunis et poſſeſſionibus imminerent. Diuturnius bellum fuit, qvod Ordinis Mariani Eqvites a Peluſſa, (Michovio, Pelusza, Schuzio Peluſâ) de qvo ante dictum eſt, incitati, magno periculo, nec minori damno cum Lithuanis, plus centum annis, geſſerunt, de qvo legendus Kojalovizius part. I. l. 6. Trans mare in Syria expeditiones infauſtae erant,

non ſine culpa et labe famae nominisqve Burchardi, Magiſtri generalis, eo profecti, ſed, cum res in ſummo diſcrimine eſſet, ſocietatem militiae recuſantis, et veſtes Ordinis inſigniaqve magno cum dolore omnium deponentis, ut tradunt Michovius c. l. et Hennenbergerus in commentario ad tabulam Prusſiae Geographicam, p. 373. et in minori Chronico. Ab utroqve diſſentit Schuzius, et in praelio ſauciatum paulo poſt Rhodi obiiſſe ſcribit. Auctor hiſtoriae contractae prudentiam Bolthonis, qva in componendis Livoniae diſſidiis uſus eſt, collaudavit, et ſummam rei, qva ad praeſentem hiſtoriam pertinet, ſtrictim explicavit. Impoſito Semegallis iugo, ſumma fuit tranqvillitas pacis et otii. Nam reliqvæ gentes, qvibus cincta eſt Livonia, Marianorum potentiam formidantes, ſe ab armis continebant. Verum interea dum externi hoſtes qvieſcebant, inteſtina odia et diſſidia inter

Epi-

Epiſcopos, ac milites Marianos oriri coeperunt, qvæ tamen prudentia ipſius Bolthonis ſedata ſunt, foedere utrinqve facto. Alii e contrario aiunt, Hogenbachium non abfuiſſe a culpa, et immoderatis abreptum conſiliis, excitaſſe lites, niſi mors eum praeveniſſet, reipublicae nocituras. Talia enim indicia ſuppetunt, qvae ſvadeant, eum res, pace parta, ſecundisſimas haud aeqvo tuliſſe animo, et eorum, qvi concordiae et moderationi ſtudebant, disſimilem, nihil a ſe impetraſſe, qvod praeſulibus Rigenſi et Torpatenſi aeqvum videretur. Eorum ſententiam noviſſime ſeqvitur Kelchius, et res ipſa declarat. Ad proxima haec tempora memoratur Ordinis Teutonici in Prusſia Magiſter Bulhardus Harem, qvem anno 1287. a Lithuanis caeſum docet Koialovizius hiſt. Lit. part. I. lib. 6. Sed Prusſici annales nihil tale habent, et cum his temporibus coniungunt Burchardum de Svvenden, et Conradum a

Tierberg, illum generalem, iſtum provincialem Ordinis Magiſtrum. Neuter vero a Lithuanis in acie oppreſſus eſt: alter ex vulnere in praelio cum Saracenis accepto Rhodi mortuus, ut memorat Schuzius, aut extra praelium, et morbo aliunde contracto, e vita decesſit, qvemadmodum opinatur Hennenbergerus, in minori Chronico, qvod repetiit in commentario ſaepius commemorato. Alter bellum proſpere geſſit contra finitimos barbaros, et fratre eiusdem nominis, et eadem Magiſtri provincialis dignitate functo, at maiore natu, fortitudine ac fortuna haud inferior fuit. Apud Dusburgium Chron. part. III. cap. 129. ſeq. c. 197. et 209. Michovius de Tirborg ſcripſit, et annorum rationes aliter confecit, lib. III. c. 58. At mihi potior eſt auctoritas Dusburgii, qvem prae ceteris ſeqvor. Huic in praefectura Prussiae provinciali ſuffectus eſt Mangoldus, Comes Qverfurtenſis, ſive, ut

apud

apud Dusburgium eſt, Meneko de Qverevvorde, part. III. c. 227. Alii Meinhardum, vulgo Meinike vocant, de cuius matre qvaedam mira et fabuloſa circumferuntur. V. Schuzius et Hennenbergerus.

AD *HENRICVM DVMPESHAGENSEM.*

AD princ.] Hunc omiſit Cyr. Spangenbergius, ordinemqve turbavit, qvem ſummo omnes conſenſu tradunt, et a Dumpeshagen ſcribunt. Hornerus ſcripſit, a Dumpſagen.

Ioanni.] Sverinenſi, poſt Ioannem Vechtenſem Archiepiſcopo Rigae deſignato, qvi vernaculis ſcriptoribus a Vechta, vulgo a Fechten, perperam, Qvirinus, a Strykovskio, et Koialovizio nominatur, lib. X. et hiſt. Lit. part. I. lib. 6. Neqve his rectius

expresſit Hartknochius in animadv. ad Dusburgium part. III. c. 262. Tiotismo propius eum ſignavit Auguſtinus Encaedius in carmine erudito, qvod Aulaeum Danaidum inſcripſit. Eodem tempore Antiſtes Torpati fuit Burchardus, vir pius et ſapiens, qvi nihil de iure ſuo, et dignitate ſedis detrahi paſſus eſt, et omni cura libertatem ſuam defendit. Thomas Hornerus in capite huius hiſtoriae tradit, Henricum nomine ſui Ordinis cum Epiſcopo Derptenſi (Torpatenſi) de perpetua pace tranſegiſſe. Neqve, id domeſtici Livonum annales refellunt, nec diſſidia, qvae Henrici mortem conſecuta ſunt, aliud perſvadent. Sub haec tempora Meſtvinus (Poloni Miſciugum vocant) Pomeraniae dux, familiae ſuae ultimus, mortalitatem explevit, ſcripto antea herede Premislao, maioris Poloniae duce. Poloni Premislum nominant, de qvo legendi ſunt Dlugoſſus, Cromerus et Neugebauerus, ex iisqve Ioach. Paſtorius

ſtorius Flor. Pol. lib. II. c. 15. Annum, qvo deceſit, monimenta Olivenſia aperte ſignant, MCCXCV. Ex his deprompſerunt Schuzius p. 51. et Dan. Cramerus hiſt. Pom. lib. II. c. 18.

AD
BRVNONEM.

A D princ.] De huius cognomine domeſtici annales, et externi tacent. A Dusburgio, frater Bruno Magiſter dictus eſt, part. III. c. 262. Qvem Spangenbergius, ut complures alios, praetermiſit. Falſum eſt, qvod ſubmonendum duco, Eqvites in Ordinem cooptatos, nomina ſua mutaſſe, ut Simon Grunovius putavit.

Ad Treidam.] Treyderam fluvium Dusburgius, Dreideram Schuzius extulit. A Koialovizio Treidenus amnis dicitur; vulgo, et vernaculo ſermone locum, ubi pugna conſerta eſt, cum Ruſſovio Treyden vocant. Virenes a Rigenſibus, Ordinis potenti-

am reformidantibus, excitus et evocatus, atqve in belli ſocietatem tractus, Livoniae prope exitium attuliſſet, niſi milites Teutonici ex Prusſia ſubmiſſi, ductore Bertholdo Auſtrio (de Auſtria) ab aliis Bruhane dicto, res clade proxima attritas, in integrum reſtituiſſent. Is erat praefectus Regii Montis, ſive, ut ſub id tempus locuti ſunt, Commendator Konigsbergenſis, qvem Michovius appellavit de Brunhaim, lib. III. c. 66. Brunhaim Koialovizius, part. I. lib. 6. Cuius mentio eſt apud Dusburgium part. III. c. 728. Per Brunonem ſtetit, qvo minus concordia ſtabilis eſſet, et Livonia pace frueretur. Et tunc qvidem Magiſter Bruno, ab exceſſu Ioannis (a Vechta) Archiepiſcopi Rigenſis, non de pace reconcilianda, ſed de bello ſucceſſori eius Ioanni Sverinenſi inferendo cogitabat. Neqve hic in reſiſtendo tardus aut timidus, cum ſatis per ſe virium non haberet, foedere cum Lithuanis inito, et rur-

ſus

ſus confirmato, ſe erigebat, ab eoqve fonte manabat clades, qvam anno 1298. ad Treidenam flumen accepit Ordo, et Magiſtrum cum ſexaginta Eqvitibus, amiſit. Gregarii maiore numero deſiderati ſunt. Per idem tempus in Prusſia magnus Ordinis Magiſter fuit Godefridus Hohenloicus Comes, ſub qvo Magiſtri provincialis titulo curabat Meneko Qverfurtenſis. Ceterum in hiſtoria, qvam crebro laudavi, contracta haec leguntur. Inter Brunonem et Riganos multæ et magnæ diſſenſiones et controverſiæ extiterunt, unde tetrum et crudele bellum eſt natum. Eo in bello ipſe Bruno a Riganis ingenti praelio victus eſt ad Treidam: ſic enim arx, ad qvam acie dimicatum eſt, vocatur. Rigani victoria elati Novam molam obſedere: a cuius tamen arcis obſidione reiecti ſunt, non absqve ſtrage. Multi enim eorum illic perierunt, partim cæſi, partim aqva ſubmerſi.

AD
GOTTFRIDVM ROGGAM.

AD princ.] Cognomen eius qvale fuerit, in Ruſſovii Chronico non traditur: Schuzius illud temporum obſcuritate involutum putat. Ab Hornero Gottfridus Rugo nuncupatus eſt: Chytraeus, Ruſſovius, Venator, Praetorius, Ceumern, et recentiores, qvos legi, omnes, ſolo Gottfridi nomine appellant, in ſerie Magiſtrorum variant, alii XXI. alii XXIII. ponunt: iſti a Vinnone, hi a Balkone initium ducunt. Hunc Kelchius de Rogga, ego idonea Latine ſcribendi ratione cognominavi Roggam.

Arcis Neumuhliae.] Ita de vernaculo ſermonis genere expreſſi, et meo qvodam ſcribendi iure uſus ſum, ut res ſubiecta eo planius intelligi poſſet. Alioqvin me non fugit, caſtrum mo-

molendini novi a Dusburgio appellari, part. III. c. 262. Novam molam vocat Hornerus. Koialovizius Novem lynum dixit, qvi forſan Novum molendinum ſcribere in animo habuit, qvandoqvidem Lithuani, qvos Lethovvinos vocat Dusburgius, cum ſociis militiae Rigenſibus arcem illam obſederunt, ſed virtute Bruhanii repulſi, et plures, qvam qvater mille caeſi. Qvo tempore etiam Meinhardus, qvi et Meneko dicitur, tractus Lithuaniae Onkaimum et Menegedinum, ac deinde Paſtoviam et Gerſchoviam ferro et igni vaſtavit, qvemadmodum tradit Michovius lib. III. c. 66. Praeter ceteros legendus eſt Dusburgius, loco aliqvoties commemorato, apud qvem Vithenus legitur, qvi a Koialovizio ſcribitur Vitenes, horum aeqvalis tempornm, et magnus dux Lithuaniae, cuius res notae ſunt ſatis ac teſtatae, maxime ob bella, et excurſiones in Livoniam, Prusſiam et Poloniam factas.

AD

AD

CONRADVM IOCKIVM.

AD princ.] Vernacula Teutonum lingva de loke, et locke ſcriptitant, neqve aliam ſcribendi rationem iniit Hornerus. Pleriqve ut Chytraeus, cum eius hiſtoriae partem attigerunt, tum de cognomine dubitantes, nihil de eo tradere voluerunt. Spangenbergius eum plane omiſit, mutilamqve Magiſtrorum ſeriem ſubiecit.

Pleſcoviam.] Ad Pleſcoviae et Veliskae confluentes. R. Heidenſteinius de bello Moſcovit. lib. IV. p. 397. Aperit fines Novogrodiae, et Oſtroviae, usqve in ipſum Moſcuae agrum, P. Oderbornius in vita Ioannis Baſilidis, p. 394. edit. Vechel. Pleſcovia fl. ex lacu eiusdem nominis oritur. Baro Herberſtein rer. Moſcovit. commentar. p. 56. Tribus muris circundatam eſſe, idem confirmat.

Iſar-

Isarnus.] a Bonifacio IIX. cuius erat sacellanus, in Livoniam missus, apud Vitfeldium, et Pontanum, rerum Danicarum scriptores, qvi formulam compositionis tempore Gottfridi Roggae, et Friderici factae, posteritati servarunt, sed Ordo non stabat pactis, et violabat foedus, et multa faciebat insolenter, qvod suo malo expertus est Episcopus Osilienſis. Mendum inest in historia vitae Ponti Delagardii, ubi lokius ad Treidam occisus scribitur, qvod de Brunone dictum oportuit, ut ex superioribus per est manifestum. In historia contracta de eo haec leguntur. Tempore huius Conradi tanta fuit fames in Livonia, ut ea extincti sint multi mortales. Hic arcem apud Semegallos Meisatam ædificavit. Adiutus Borussorum copiis, qvarum ductor fuit optimus ac fortissimus vir, cognomento Ketelhut. Pleſcoviam Russiae civitatem expugnavit. Idem, qvod ex Pontano liqvet, Revaliam muro cinxit,

xit. De fame addo, eius causam conferri in nimium frigus, qvod magnam Livoniae calamitatem attulit, et fruges omnes corrupit. In tres annos duravit haec annonae caritas, plurimosqve sustulit, et ita afflixit populum, ut robora hominum conficeret, et mores simul pravos illorum temporum diviniori poena castigaret. Anni ad rei frumentariae penuriam fatales memorantur, M CCC XV. M CCC XVI. et M CCC XVII. V. Russovius part. II. In hoc Magistro, Kelchius part. III. in eodem.

AD *EBERHARDVM MONHEIMIVM.*

AD princ.] Recte ita scribo, Russovium secutus, neqve aliter Chytraeus Hornerus ab emendatiori scriptura recessit, et eum cognominavit, a VVelheim. Spangen-

genbergius contra, a Neuenheim, pari, ut liqvet, errore. Nihilo rectius ſcribitur, a Mannheim, ab Auctore noviſſimae deſcr. Ord. eqveſtr. p. 78.

Expugnavit.] Monheimius animo vehementior, et ſucceſſu felicior, Rigam A. C. 1330. in poteſtatem redegit, atqve arcem ibi ſuo et Ordinis nomine primus exaedificavit. Ita Vrbs ſe arbitrio victoris permiſit, iura atqve, privilegia omnia tradidit, ſemiſſem qvoqve mulctarum in iudiciis, et vectigal piſcium ei aſſignavit. Qvae magna Vrbis converſio priſtinum reipublicae ſtatum inſigniter mutavit, cuius breviarium extat in hiſtoria contracta qvae in Rigenſes culpam confert, qvod ad extirpandum Ordinem conſilia et vires coniunxerint, qvamvis hos defenſionis neceſſitas excuſaret. Inito cum Lithuanis foedere, Rigani adverſus Eberhardum conſpirarunt, ad expellendos Mariani Ordinis milites. Qva conſpiratione cognita, ipſe Rigam civita-

vitatem, omnibus collatis viribus, obſedit, atqve oppugnavit. Sed Rigani auxilio foederatorum deſtituti, cum intelligerent, ſe neqve obſidionem diu tolerare, neqve oppugnationem ſuſtinere poſſe, ſeſe illi dediderunt, certis tamen conditionibus. Tres præterea arces, Rigana, Doblinenſis et Mitovienſis, ab eodem alibi extructæ ſunt. Cum Rutenis, Samogitis, et Lituanis, ipſe diverſa qvoqve bella geſſit, in qvibus qvamvis interdum æqvo Marte utrinqve pugnatum ſit, ipſe tamen ſæpius victoria potitus eſt. Conſentit Venator, et tuetur cauſam Ordinis, qvod Rigenſes Dunaemundam, arcem Dunae imminentem, Ordini eripuerint, et multa crudelitatis exempla ibi ediderint, de origine Ordinis Mariani, p. 86. In rationibus temporum congruit Michovius, lib. IV. c. 16. Huius Magiſtri temporibus, Eſthonia tabulas a Chriſtophoro II. Daniae Rege, eodemqve Eſthoniae duce, difficultatibus numariis implicito,

cito, rogavit pariter atqve impetravit, qvibus non abalienandi ducatus fidem Esthoniae proceribus obstrinxit, qvas Pontanus attulit, rer. Danicar. lib. VII. p. 450.

Satatem.] Ruthenum, sive Russicae gentis regulum, qvi Gedimino Vitenis filio, magno Lituaniae duci, foedere adversus Ordinem se coniunxit, ut Russovius, ex eoqve Kelchius tradit. De Gedimino, qvi Kioviam, Rusiae qvondam caput, et Rusici imperii sedem, qvae magna civitas libro Chronici septimo, a Ditmaro dicitur, subegit, et Vilnam, principem Lithuaniae Vrbem condidit, et Aldonam (ita Koialovizius, Annam post recepta Christi sacra, Michovius vocat) Casimiro Poloniae principi, alteram Venceslao, Masoviae duci, in matrimonium collocavit, eaqve affinitate vires Polonorum auxit, ut Marianis potentia superiores fierent, & nova deinde Lithuaniae accessione, eos magis premerent, armisqve debilita-

rent. Koialovizius part. I. lib. 7. et l. 8. Michovius lib. IV. c. 9. Hartknochius, Vladislao Loctico nupsisse Gedimini filiam tradit, histor. rer. Pruss. part. II. cap. 2. Sed omisit nomen eius, qvod erat Hedvigis, qvae non Gediminum, sed Boleslaum pium patrem habuit, qvod ex Polonicis scriptoribus constat.

AD

BVRCHARDVM DREYLEVIVM.

AD princ.] Russovio et Chytrao est, a Dreyleve, Hornero a Drogeloven: secundum alios a Drevvlevven, sive Dreyleven.

Mariaeburgum.] Arcem Livoniae, in Rusiae finibus sitam, et bello Rusico notam. Diversum est Prusiae Mariaeburgum, a Mangoldo Sternbergio, Magistro Prusiae provinciali, ex Santirii ruinis, anno 1280.

ad

ad Viſtulae brachium, qvod Nagotum vocant, extructum. P. Dusburgius part. III. c. 203. ex eoqve Schuzius h. an. Ex utroqve caſtigandus eſt Adriani Romani error, ſub Magiſtro Heldrovienſi (Heldrungenſem ſcribere debuit) conditum affirmantis. In parvo theatro vrbium p. 279. Mariaeburgum Livoniae A. 1341. eſt ſtructum, ſed alterum a Sigfrido Fuchtvvangio, conſtituta illic Magiſtri generalis ſede, habitari coeptum. Duobus poſt conditam hanc arcem annis, Gedanum muro circundatum, atqve in poteſtatem Teutonici Ordinis redactum, et ſecundum veteres locorum menſuras Pomerelliae, deinde, mutatis vicinorum rebus, Prusſiae annumeratum. Schuzius documento antiqvae inſcriptionis ſignavit annum 1343. Locum, ubi arx extructa eſt, Gothi incoluerunt, verum non a veteribus Gothis, ſed a Danis, qvi auſpicio Regum ſuorum eo navigarunt, prima eius fundamenta iacta, deinde ex vico vrbs fa-

cta, et magis culta, ac muro cincta, commerciisqve aucta, et commodo ad Viſtulae oſtium ſitu, ſupra omnes finitimas vrbes evecta. Primus, qvod recordor, Marchiae Gedanenſis meminit Kadlubko, ſed eo nomine tractum Pomerelliae, non Vrbem ſignificat, qvod nemo in dubium vocare poteſt. Dansvici initium ſub tempora Valdemari coepit, anno circiter 1165. apud Pontanum hiſt. Dani lib. VI. Qvo antiqvior eſt vrbs Gidanie, cuius mentio facta eſt in vita S. Adalberti, qvam deſcripſit Coſmas Pragenſis, p. 83. Vbi non Gneſni, qvemadmodum Ditmarus Gneſnam ſcribit, ſed vocabulum, Gidanie, omnino retinendum, qvia deſcribitur ut Vrbs maritima, qvam, ut auctor vitae loqvitur, maris confinia tangunt. Aliud eſt Danevircum, ſive Danevercum, qvaſi Danorum opus dictum, a Godefrido, qvem Dani Gotricum nominant, contra Francos Carolingos extructum, de qvo tradunt Aimoinus l. IV.

de

de geſt. Francor. Saxo Sialandicus lib. X. Poſt utrosqve Ericus Pomeranus, Paulus Aemilius, Alb. Cranzius, Io. Adolph. Cypraeus, Ionas Coldingenſis, Ianus Svaningius, et Io. Is. Pontanus. Niſi propius ad verum accedere videtur lectio, qva ſubſtituitur Vrbs Iulini, qvam commerciis nobilem, et mercatoribus freqventem, ſed praedatione maritima infamem excidit Valdemasus I. Ab hoc oppido commercia in Gothlandiam, velut alteram Svevici maris Rhodum, migraſſe, et Visbyum, iſtius Inſulae Vrbem nobilitaſſe, conſtat. Alioqvin fateor, apud alios illorum temporum ſcriptores non inveniri huius nominis urbem, qvae Gidanie appellata fuerit: praeterea teſtimonio, ex vita Adelberti producto, refragari vetuſtam inſcriptionem, a Schuzio allatam, et ab Hartknochio repetitam. In hiſt. Pruſſ. part. II. c. 3. De hac perantiqva, et ex Vinetae ruderibus inſtaurata Pomeraniae urbe, memo-

rant Saxo Sialandicus, lib. X. Chytraeus Vandal. p. 10. Pontanus l. VI. Frider. Menius in prodromo p. 6. Illud hic ſubiicio, Gedanum Leutingero videri opus Pomeranorum, non Gothorum, neqve Danorum. Commentar. part. VII. Sub ea tempora, qvibus primaria civitas Gedanenſis eſt circundata moenibus, caput Teutonici Ordinis, et generalis Magiſter fuit Ludolphus König, ex eqveſtri Veizaviorum genere oriundus. Auctor continuationis Dusburgii res factaqve Magiſtorum generalium non recte recenſuit, neqve accurate diſtinxit. Sed in perqvirendas vrbium origines nunc incumbere, non vacat. Itaqve in eam, unde deflexi, redeo viam.

Qvi agrum incolebant] Ruſticorum tumultui cauſam praebuit praefectus Fellinenſis, ut docet Hornerus. Adde Ruſſovium, Schuzium, et Hennenbergerum. Diſcurrebant armati, paſſimqve caedes edebant, qvo-

qvorum ſeditio repreſſa et caſtigata eſt a Magiſtro, et ab Henrico Druſemero, qvem Dusmerum vocat Schuzius, praefecto Strasburgenſi, ex Prusſia auxiliatum profecto. Ruſticos gravitas tributorum in pravam hanc mentem impulit, de qva paſſim qverelae ſcriptorum extant, ſigillatim apud Cranzium Vandal. lib. XIII. c. 21. Qvanqvam Venator cenſet, eum paulo alieniori ab Ordine animo fuiſſe, et carpendi eius occaſionem qvaeſiviſſe, p. 75. Qvod tamen ego non dixerim, propterea qvod Ordinis Eqvites, ab aliis qvoqve magnae crudelitatis et ſuperbiae arguuntur. Nic. Leutingerus de Marchia Brandenb. l. III. p. 54. Haud aliter aliqvot ab hinc annis Ornhielmus, indigenas, praeſertim ruſticos, peiore, qvam iumenta, ſorte, ad aeternas operas damnatos tradit, qvod ante eum ſubmonuit Cranzius, canibus ſimiles habitos, ſcribens.

AD

GOSVINVM ERCKIVM.

AD princ.] Ab Erck, Chytraeus et Ruſſovius, ab Ercke Praetorius, alii ab Eick, ſive Erch, ſcribunt. Robin de Eltzen, in tabulis cuiusdam privilegii ſe legiſſe teſtatur Ceumern. Dasqvinus ab Ercke dicitur ab Hornero.

Voldemarus III.] Chriſtophori II. in regno Daniae ſucceſſor et filius, Margaretham ſororem deſpondit Ludovico Boio, Ludovici IV. Imp. filio, eiqve tradidit Eſthoniam, iure dotis poſſidendam. Hanc Boius non multo poſt venundedit Henrico Duſemero, Ordinis Teutonici Magiſtro generali, qvae pactio inita et confirmata eſt Tangermundae, A. C. 1341. At Valdemarus aiebat, priores in emendo ſibi deberi partes, ſi maxime affinis Boius poteſtatem alienandi haberet. Poſtea Rex, cooptato in Ordinem

dinem Ottone fratre, rationibus numariis, et longinqvitate loci adductus eſt, ut denuo iure ſuo cederet, et Esthoniae dominium in Duſemerum transferret. Qvi rurſus, qvae in Esthonia habuit, Gosvino vendidit, atqve hunc anno 1346. in poſſeſſionem miſit, confirmatis de integro privilegiis, qvae a Chriſtophoro II. et Valdemaro II. Daniae Regibus, antea Eſthonibus conceſſa erant. Prudens et paci utile, ac Livoniae ſalutare Gosvini conſilium omnes dilaudant. Auctor hiſtoriae contractae ſeqventia recenſet. A Volmaro (Voldemaro III.) Rege Danorum (rectius, ab Henrico Duſemero) emit duas regiones, Hariam et Virlandiam: tres item arces Revalianam, Veſeburgenſem et Narvenſem, qvarum qvidem emptio magnam accesſionem attulit, ad publicam pacem tuendam. V. Chytraeus, qvi Voldemarum IV. nominans, admiſit parachroniſmum. Ruſſovius l. cit. Pontanus hanc Eſthoniae

venditionem, non legitime factam subindicat, tum qvod pacto Christophori II. de non alienanda Esthonia, cum Esthonibus inito repugnaret, tum qvod iuriurando, qvo fidem ei et obseqvium perpetuum devinxerant, adversaretur, tum qvod deniqve consensu et suffragio Ordinum Daniae venditio destitueretur. Rer. Dan. l. VII. p. 475. In hoc defecit virile genus superiorum Daniae Regum, qvod Christophorus Hallandiae et Lalandiae Dux, ante patrem e vita excesit, relictis ex Hedvige filiabus, Margaretha, qvae Aqvino Norvagiae Regi nupsit, et tria Septentrionis regna coniunxit, atqve Ingeburga (aliis Ingelburga) qvam Henrico Duci Megapolitano in matrimonium collocavit. vid. Cranzius Vandal. l. VIII. c. 24. et Dan. l. VII. c. 38.

AD

AD

ARNOLDVM FITTINGHOVIVM.

AD princ.] Ruſſovius ſcribit de Vitinckhave, qvem ſeqvitur Hieronymus Henninges in catalogo Magiſtrorum Ordinis, Hornerus de Vitinghof, alii de Vittinghove, ut Venator, Ordinis Teutonici ſacerdos: cognomen omiſit Chytraeus. Plura dici non attinet, qvando ſcribendi nominis forma tantum, non rebus diſident ſctiptores.

Kieyſtutus.] Gedimini filius, Vitenis nepos, ſex fratres habuit, qvorum natu minimus Iavvnutus, magnus Dux Lithuaniae conſtitutus eſt, ultima patris voluntate, contra aetatis ius, qvo Olgerdum natu maximum ſuccedere oportebat. Idcirco patre mortuo, fratres, aetate et viribus potiores, Olgerdus et Kieyſtutus, Iavvnuto adverſati, conſilio clam inito, operam dederunt, ut magnum ei

Duca-

Ducatum auferrent. Cunctante Olgerdo, Kieystutus, eo negotio celeriter perfecto, Vilnam cum milite pervenit, et civitatem periculi ignaram, immissis occulte cohortibus, occupavit. Cum id fieret, secure dormiebat Iavnutus, sed repentino tumultu expergefactus, ex vrbe evasit, qvem fugientem Kieystuti eqvites insecuti, ex silva retraxerunt, atqve in custodiam tradiderunt. Itaqve duo fratres pacti sunt, ut Olgerdus deinde magnus Dux esset, reliqva aeqvis rationibus inter fratres dividerentur: Iavnuto ex carcere dimisso Zaslaviae ducatus permitteretur. Samogitia Kieystuto attributa est. Hic imprimis bellicosus et inqvietus, cum fratre Olgerdo, belli societatem iniit, et in Prussiam, Livoniam Poloniamqve movit, ac regiones populatus est, aliqvoties acie conflixit cum hostibus, tertium captus a Prusis. Alii bis captum tradunt, sed perperam, ut Christophorus Hartknochius, in animadver-

verſionibus ad Chronici Dusburgiani ſupplementum cap. XXIII. Neqve aliter ſenſit et ſcripſit, qvem pro ſe affert, Koialovizius, qvi tres Kieyſtuti captivitates commemoravit, part. I. l. 8. p. 324. 325. 328. Ex prima dimiſſus eſt, permutatione captivorum facta. Ex altera liberatus a Lithuano qvodam, Chriſti ſacris initiato, et miſericordia captivi commoto. Ex tertia, et poſtrema elabendi occaſionem et conſilium, qvod vero propius eſt, praebuit ei qvidam ſpe pecuniae illectus. Diverſa, et qvarta, ſed ordine prima eſt captivitas, in qvam venit bello Polonico, ex qva pari calliditate exiit, et dilapſus eſt, apud eundem p. 316. 317. Ab auctore ſupplementi Kynſtod dicitur, c. XXIII.

Arcem Caunae.] Hac A. 1362. capta, Ordinis Eqvites in ulteriorem Lithuaniam tendebant, et Cauna iam diruta, novam arcem Chriſtimemelum moliebantur: tum Nemeni fluminis ripas, extructo Gottesvverderi

deri propugnaculo, muniebant, ut ſedem belli in Lithuaniam transferrent. Koialovizius part. I. l. 8. Zeilerus, qvi tamen multa, ne Velonae qvidem, qvae Nemeno fl. imminet, ſitum inveſtigare potuit, in deſcript. Lithuaniae pridem emiſſa. Anno deinde 1364. Kieyſtutus novam Caunam, ad ſubmovendos hoſtes, exaedificavit, nec freni patiens, arcem ad Nemenum fluvium funditus evertit. Apud auctorem hiſtoriae Lithuanae, et Schuzium hiſt. Pruſſ. l. II. Arnoldi temporum aeqvalis, et magnus Ordinis Mariani praefectus fuit Vinricus Knippenrodius, ſive contracte, Kniprodius, cuius mentio eſt in ſupplemento Dusburgii, cap. XXIII. et XXIV. Nam praenomen Henrici mendoſum eſt, qvod ex ſcriptoribus Pruſſicis, et ex veteri Chronographica, qvae apud Hennenbergerum extat, inſcriptione liqvet. Ab hoc Vrbem Kniphovianam Regii montis dictam putant, ſed oppido falluntur.

Chro-

Chronologia ceteroqvin Lithuana et Livonica hic perturbata eſt, cui aliqvid lucis afferri poſſet ex ſupplemento Dusburgii, ſiqvidem is iuſtum in enumerandis generalibus Magiſtris ordinem ſervaſſet. At vero is poſt Luderum Ducem Brunſvicenſem, qvintum decimum Ordinis generalem Magiſtrum, recenſuit Vinricum, qvem alii Veinrichium vocant, omisſis, qvi inter Luderum et Vinricum interiecti ſunt, Magiſtris generalibus, Diterico Oldenburgico, Ludolpho König Veizavio, Henrico Duſemero Arfbergio, qvi ſane magnus eſt temporum hiatus.

AD

AD

VILHELMVM FRIMERSENIVM.

AD princ.] In vernacula a Frimerſen, qvemadmodum et Chytraeus ſcripſit, item a Frymerſen, Ruſſovio: apud alios Freymerſen, et Freymersheim. Minus recte Henninges: a Frimenſen.

Antiſtite Rigenſi.] Fromhildo, Fiffhuſia ſtirpe edito, et integram Rigae iurisdictionem conſecuto, poſtqvam Vilhelmus litem perdidit: ſententia, qva iurisdictio a Magiſtro et ordine abiudicata eſt, non tantum ab Vrbano V. Pont. Max. ſed etiam a Carolo IV. Imp. eſt pronunciata, adeo ut nullum Magiſtro, qvod opponeret, iuris praeſidium relinqveretur. Praeſto fuit Kniprodius, et promulgationem Gedani audivit, nec repugnare auſus eſt, cui Frimerſenius in his atqve talibus negotiis erat obnoxius, et ſine eius auctoritate nihil agere et con-

conſtituere poterat, qvod iure firmum validumqve eſſet. Id qvod ex actis illorum temporum, et Ordinis legibus, atqve inſtitutis conſtat.

Sigfridus Blombergius] Fromhildi, in metropoli et ſede Rigenſi ſucceſſor, habitum, qvo antea uſus eſt, cum Ordine communem, eumqve Praemonſtratenſem, cum Auguſtiniano commutavit, approbante inſtitutum Vrbano V. qvi antea contra partes Magiſtri Livoniae ſteterat, necdum eius cauſam deſerebat. Cum Frimerſenio componendi ſunt Fromhildus, ſive ut alii ſcribunt, From holdus, et Sigfridus Blombergius. Hunc in ſacra dignitate ſecutus eſt Ioannes Sintenus, cum Iobo Vlfeno temporum ratione coniungendus, qvam vis eum Ruſſovius Frimerſenii aeqvalem putet. In rerum ſynchroniſmo variant ſcriptores, et pleriqve in compurandis annis ſibi non conſtant. Auctor hiſtoriae contractae hunc Magiſtrum vocat acrem in perſeqvendis

Christianorum hostibus, ideo qvod contra Rutenos, Lituanos, Samogitas et Semigallos assidua gesſit bella, ut ab impiis numinibus deduceret ad verum Dei cultum.

AD

IOBVM VLSENVM.

AD princ.] Lobbe de Vlſen, apud Ruſſovium, qvem ſeqvitur Henninges, ubi eſt Lobbus ab Vlſen: auctore Hornero ſcribitur Lobbeus ab Elſen: aliis Lobbe de Hulſen, Chytraeo eſt Iobus Vlſenus, qvem ego auctoritate veteris ſcripturae ſeqvor.

Ab Vrbano VI. Vero et legitimo Pontifice, contra qvem deſignatus eſt Pontifex Clemens VII. in qvo canonica electio deficit, et ideo Antipapa vocatur. De Vrbano legendi Antoninus, Platina, Panvinius, Dominicus Tempeſta Romanus, Alphon-

phonſus Ciacconius, et ad eum in notis Auguſtinus Odoinus; qvorſum ſpectant epiſtolae Catharinae Senenſis ad Carolum ſapientem, huius nominis V. Galliae Regem, pro Vrbano ſcriptae. Reliqvi, enim ac praecipui Orbis Chriſtiani Reges et Principes, eum rite electum agnoverunt, ut vel hoc argumento Dameravius Epiſcopi locum tueri debuiſſet, ſed vis praeiure valuit, ſpreta Pontificis auctoritate, et rebus ad omnem licentiam prolapſis.

Pontifici Romano. Bonifacio IX. Vrbani VI. in legitimo Pontificatu ſucceſſori, qvi Ioannem Vallenrodium Rigae Archiepiſcopum conſtituit, et Ioannem Sintenum Lituaniae patriarcham deſignavit. Cetera, qvae ad res horum temporum, in primisqve belli Lithuanici, et ſimul ad vicissitudines Vitenidarum, Kieyſtuti, Vitoldi, et Iagellonis pertinent, ex Koialovizio et Schuzio petenda ſunt, iſto part. I. lib. 9. et part. II. lib. 1. et 2. hoc

lib. II. p. 78. seq. Iagello, Olgerdi filius, ab auctore continuationis Dusburgicae nominatur Iageli, posteaqvam Christo nomen dedit, Vladislai nomine appellatus, cap. XXV. Ex qvo argumenta aetatis, et annorum Iagellonis sumenda sunt, ut Schuzium feciſſe animadverti. Hunc secutus est Hartknochius, et in aliis Ornhielmum plerunqve Kelchius, haud inutili, qvem in historiam patriam insumpsit, labore. Nihil horum attigit Chytraeus, et multa praeteriit Russovius, qvae aliunde suppleri possunt.

AD *VOLDEMARVM BRVGGENEVM.*

AD princ.] Ita scribunt Chytraeus, Russovius, Menius, et Matth. Praetorius. Apud Hornerum Volmarus a Brugeney, apud Ceumernium et Kelchium, a Bruggen.

gen. Mendose exaravit Henninges, a Burggeney.

Conradum Vallenrodium.] Generalem Prussiae Magistrum, in qvo moderationem reqvirunt scriptores, qvoniam a more et instituto Conradi Zolneri Rotenstenii discessit, et superiores titulos, cum singulari modestiae laude sumptos, mutavit. Ita factum est, ut novi splendore tituli vicinorum oculos praestringeret, neqve ut antea, seorsim Magister, sed Magister generalis, et Eqvites Ordinis deinceps non Fratres, sed Domini Prussiae dicerentur, id qvod ex numis, qvos vidi, et codicillis, qvos legi, accurate perspexi. Idem hoc ab auctore continuationis Dusburgii observatum est, qvi Marianos Eqvites, sub tempora Conradi Iungingensis, Dominos terrae Prussiae, appellavit, prodito scilicet a Vallenrodio, qvi eum praecesserit, exemplo. Cap. XXXIV. Add. Schuzium fol. 88 et Hennenbergerum in comment. ad

tab. Geogr. Pruſſ. p. 293. Eam vero priſtini moderatiqve moris commutationem ſecuta ſunt multa variaqve bella, et proxima ac maxima Ordinis clades apud Tannenbergam. Continuatio Dusburgii cap. XXXV. Hennenbergerus commentar. cit. p. 268. et 310.

Antiſtes enim.] Torpatenſis, qvi arma contra Bruggeneum ſumpſit, aſcitis in belli ſocietatem Pleſcovienſibus, Samogitis, et Lithuanis, aliisqve Chriſtiani nominis hoſtibus, qvi Livoniam crudeliter diripuerunt. Qvos ſua et Marianorum virtute propulſavit Magiſter Bruggeneus, a Vallenrodio generali Magiſtro, ut tributum a Torpatenſi exigeret, inſtigatus. Tandem de pace convenit, et diſſidium utrinqve compoſitum, ac Gedani ſopitum. Ruſſovius et Hornerus in eo conſentiunt, noviſſime Kelchius part. III. an. 1294. Nec multo poſt controverſia inter Archiepiſcopum Rigenſem, et eiusdem ditionis ac dioece-

oeceſios Ordinem eqveſtrem, interventu Epiſcopi Varmienſis, et civitatis Imperii Lubecenſis, finita eſt, cum annus Chriſti ageretur ſupra milleſimum trecenteſimum nonageſimus ſeptimus, ut rationes temporum oſtendunt.

Maſſagetas invaſit.] Expeditio Bruggenei reiicitur in annum 1399. Multo ſangvine haec provincia a Teutonicis qvaeſita eſt, nec tamen in fide ſtetit, et ſaepe multumqve defecit. Temporibus Vinrici Knippenrodii, de qvo ſupra dictum eſt, iam qvinqve et octoginta anni in bello Samogitico conſumpti erunt, ut ex ſchedis et libris, qvos inſpexit, manuſcriptis, accurate is ipſe cognovit. Necdum Samogitae qvieverunt, qvos victos ſaepe et ſubactos ac minimum vectigales factos, Vitoldus qvoqve Ordini addixit, ſed pactis non ſtetit, et Marianos ex Samogitia eiecit. Inde rurſus bellum coepit, et Vitoldus Lithuaniae dux hoſtis iudicatus, cuius cauſam

ſuſcepit Iagello, novus Poloniae Rex, et praelium Tannenbergenſe commiſſum, qvod omnes prope Ordinis vires confecit, certe maiorem Ordo cladem non accepit. Strages Teutonicorum anno 1410. edita eſt, qvadraginta millia eorum caeſa, Magiſter ipſe pertinacisſime pugnans interiit, qvod feſtis fuga isqve Lithuanis et Samogitis, integris viribus Poloni ſuccederent, et victoriam de Teutonicis referrent. Magiſter generalis, qvi praelio interfuit, et in acie occubuit, memoratur Vlricus Iungingenſis, non Conradus, Vlrici Germanus frater, aliqvot ante annis mortuus, qvod Koialovizii cauſa obſervandum eſt, qvi per id tempus Conradum Ordinis Magiſtrum fuiſſe tradit, part. II. lib. 2. p. 87. Rectius auctor continuationis Dusburgianae Vlricum nominat, cap. XXXV. Cum qvo convenit Prussicis ſcriptoribus, Grunovio, Schuzio et Hennenbergero. In caeſorum numero congruit cum Dlugoſſo Koialo-

ialovizius. Supra viginti millia cecidisse, fama, adductus scribit Fulstinus. Boiemos praelio interfuisse, docet Hennenberger, qvos omittunt Lithuanici annales, qvandoqvidem Reges Boiemiae a Regibus Poloniae erant alieniores, maxime ob secessionem Silesiorum a regno illo factam, qvi regno Boiemiae se coniunxerant, et Iagellonidarum in Polonia successionem aegre ferebant. Qvare Michovius expresse diserreqve Boiemos Cruciferorum partibus annumeravit. lib. IV. cap. 44. Recte, nisi qvod Conradum Ordinis Magistrum dixit. Praeterea Sigismundus Iagellonem et Vitoldum, atqve adeo Polonos et Lithuanos divellere conatus est, ut qvorum coniunctio ipsi pariter ac Mariano Ordini formidolosa deinceps futura esset. Idcirco regium insigne ad Vitoldum perferri iussit, qvod ne fieret, Iagello impedivit. Andreas Presbyter Chron. Bavar. p. 112. Koialovizius part. II. lib. 2. Vitoldus ponti-

ficatum et ſacerdotia inſtituit, et ad conſilium Conſtantienſe legationem miſit. His rebus Samogitae magis mitigati ſunt, qvos Cranzius Maſſagetas vocat, vetus genus barbarorum, Vandal. lib. VIII. c. 3. Ex eo Hennenbergerus. cit. l.

AD
CONRADVM FIETINGHOVIVM.

AD princ.] Apud Ruſſovium de Vitinckhave: mendoſe apud Chytraeum ſcribitur, Conradus Theodericus, culpa, opinor, librarii, et vitio omiſſae interpunctionis. Duo enim et diverſi ſunt Magiſtri, Conradus Fietinghovius, et Theodoricus, ſive Ditericus Turcus. Schuzius eum cognominavit, de Vitting. Literae F. et V. perfacile commutari ſolent. V. ſupra Arnoldus Fitinghovius. Recentiores pleriqve, exce-

excepto Venatore, mecum ſcribunt, neqve eius ſcripturae veſtigia non reperiuntur in veteribus libris.

Apud Modam.] Vulgo Moddam vocant, Ruſſovius, et qvi hunc ſeqvitur Henninges, Moddo Schuzius, et poſt eum Kelchius: ego Modam, et haud aliter Hornerus. Victoriam Fietinghovii inſignivit annus M CCCC IV. qvem ex Prusſicis annalibus conſignarunt Schuzius, et Venator, iſte hiſtor. Pruſſ. l. III. hic lib. I. cap. 2. de Ordine Teutonico Mariano. Sed generalis Magiſtri expeditio in Lithuaniam ſuſcepta, et celeriter confecta eſt A. M CCCCIII. apud Michovium lib. IV. c. 42.

Conradus Iungingenſis.] Michovio, de Iunigen, Koialovizio Iuningen: Vlrici frater, aut propinqvus, ut Schuzius dubitans ſcribit: recte Hennenbergerus germanum eius fratrem nominat, cum qvo conſentit Venator, et auctor deſcriptionis noviſſimae Ordinum

dinum Eqveſtrium p. 71. Fuit pacis amans, et cauſam bonam aeqvitate ac moderatione ſuſtinuit, a finium proferendorum cupiditate abhorrens, contumeliae qvoqve patiens, ſi innocentiae ſuae inſultarent Vlricus frater, et ſodales Ordinis, qvi augendae regionis avidi, bellorum occaſionem et materiam qvaerebant. Hac animi religione ductus, recte et maturo conſilio ſvadebat ſodalibus, ut, ſe mortuo, pacem et fidem pactorum ſervarent, et, nulla fratris ratione habita, moderato inprimis ingenio Magiſtrum crearent. Hennenbergerus in commentar. ad tabulam Geogr. Pruſſ. p. 298. et in Chronico minori, qvod alias laudavi. At contra, qvam optavit, electo Vlrico, evenit, qvi cum pacem nollet, et agrum Lithuanum diriperet, incendiisqve vaſtaret, tum ſe Ordinemqve in extremum diſcrimen adduxit, et tempeſtatem belli, qvam frater eius providerat ante, et praecaveri voluerat, ſubiit,

iit, ac deinde consilii inops, sero exitii causam intellexit. Conradus anno 1407. qvo florentissimus adhuc Prussiae Livoniaeqve status erat, decessit. In supplemento Dusburgii mendum inest. Cap. 32. Vlricus, tametsi strenuus et impiger, at consilio praeceps, et vincendi fiducia, admodum securus, et pugnandi, cum res moram ferret, nimis avidus, in aciem descendit, nec cum Lithuanis tantum et Samogitis, sed etiam cum Polonis, qvi castra coniunxerant, praelio audacter inito, signisqve temere collatis, vitam; Ordo qvoqve Dobryniam et Samogitiam hoc infelici casu, amisit. Alexander Gvagvinus sive germano nomine Strykovskius, in Iagellone, et Koialovizius, l. c. Iste locum pugnae Tanebrigum, qvem Prussici scriptores Tannenbergam, appellavit. Samogitiae descriptio extat apud Michovium lib. IV. c. 45. Et in commentar. Hennenbergeri p. 407.

AD

AD DIETERICVM TVRCVM.

AD princ.] Cognomen Diterici varie ſcribitur, a Ruſſovio et Henninge Turck, ab aliis Teek, ab Hornero Latina terminatione Turcus vocatur. Sic in Pruſſia fuit Hermannus, dictus Saracenus, nobili perinde ac Ditericus, familia prognatus, apud Dusburgium part. III. c. 78. Cognomen, Turre, apud Praetorium, iuſtam mendi ſuſpicionem habet. Cognomen, inqvit Hornerus, geſſit crudele qvidem, ab immaniſſima Turcarum gente deductum, ſed natura fuit mitis et clemens.

Nulla acerbitate irritavit.] Ab ſua indole, et uſu formatus, intelligebat ſuperiorum calamitatum et cladium cauſas, atqve adeo ambitionem et acerbitatem fugiebat, memor con-

consilii ab Andrea Sangevizio impertiti, qvod eo spectabat, ut generalis Magister ne irritaret Polonos, nedum armis lacesseret, qvo spreto, Prussia deinde Polonis ad Tannenbergam victoribus in praedam cesſit. Recogitabat animo, Prussos et vicinitate, et societate sibi coniunctos, ad qvorum salutem curas atqve cogitationes suas referebat, et in suo qvemqve officio domi continebat, foris Polonorum amicitiam Ordini maxime utilem iudicabat, praesertim eius regni statu per Iagellonem constituto, et Lithuana gente, ac nobilitate, cum Polonica privilegiis exaeqvata, unde novum Poloniae robur, sed maior ad Ordinem metus perveniebat. Idcirco de foedere et pace inter Polonos et Prussos actum est, et conciliante eos Ioanne, Ioannis XXIII. legato, Lausannae Episcopo, induciae in duos annos factae, et prorogatae, atqve ipsi etiam vicini a Concilio admoniti sunt, deinceps ut amicitiam cole-

colerent, atqve arma in barbaros Thraces et Turcas verterent, concordibusqve consiliis rem Christianam augerent. Schuzius lib. III. f. 109. Koialovizius part. II. lib. 2. p. 99. I. Eodem tempore Ioannes Vallenrodius Rigae Archiepiscopus, Communi ordinum Livoniae consensu, delectus est, qvi Constantiam iret, et Concilio interesset. Itaqve magno apparatu, nec minori pompa, ducentis eqvitibus stipatus, suscepit iter, et magno apparatu, nec minori pompa Constantiam intravit, sed in Livoniam non rediit, et aliqvanto post ex rebus humanis excesit. Russovius part. II. p. 19. Koialovizius mentionem iniecit cuiusdam Livoniae Magistri Hermanni, p. 88. Ante eum Cromerus lib. XVII. Qvo nomine tamen nullus Magistrorum, si Balkonem excipio, ante Ditericum Turcum appellatus est. Fallit interdum memoria scriptores, qvando multitudine distracti, ea qvae legerunt, non reminiscuntur.

Sic

Sic Schuzius de Vlrico Iungingenſi loqvitur dubitanti ſimilis, fraterne eius fuerit, an propinqvus. At fratrem fuiſſe, cognoſcere potuit ex ſupplemento Dusburgii, cap. XXXIII. Praeterea Conradum Iungingenſem Ioach. Paſtorius vocat a Tungingen, et Michovium (non Cromerum) ſecutus, Conradum qvoqve cum Vlrico fratre confundit. Flor. Polon. lib. III. c. 1. p. 137. novisſimae editionis. Sed Strykovskius, et omnes Polonici Prusſiciqve ſcriptores recte et conſentientes cladem et interitum Vlrici tradunt. Conradus nullum gesſit bellum, niſi qvod auſpicio ſuo Gothlandiam, claſſe comparata, intercepit, et piratarum receptaculum expurgavit. Schuzius lib. III. f. 92. In eodem ſupplementi Dusburgiani capite mendum eſt, qvando auctor illius ſcribit, A. M CCCC VIII. obiiſſe Conradnm, ubi errore librarii id factum, ut ſaepe alias. Omnino ſcribi debet A. M CCCC VII. Interdum

diplomata mendoſe excuſa ſunt, ut apud Schuzium Theoderici Altenburgici, qvi ſeculo qvartodecimo Ordini Mariano praefuit, qvamvis diploma anno milleſimo primo editum legatur. Vbi ſcribi omnino oportuit, anno milleſimo trecenteſimo qvadrageſimo primo. Qvem interpretatio Germanica rectius expreſſit, lib. II. f. 94. Similiter atqve in hiſtoria Brandenburgica Chriſtophoro Encelio, Veteris alioqvin Marchiae gnaviter perito uſuvenit, qvi diploma Ottonis M. de regione Zermund Geroni attributa, compluribus mendis inqvinatum, in Chronicon veteris Marchiae retulit, et A. 1579. emiſit. Sed mitto haec, et tranqvillisſimam Turci gubernationem nunc trado, qvo Magiſtri dignitatem tenente, nullus civilis motus domi extitit, neqve ullum ab exteris bellum Livoniae illatum eſt, ſed ſumma ubiqve pax et tranqvillitas fuit, qvemadmodum id auctor hiſtoriae contractae affirmavit.

AD

AD

SIBERTVM LANDERVM.

AD princ.] Sifridus a Chytraeo, Matth. Praetorio, et Chr. Kelchio, Sibertus, et proxime ad vernaculam Syvertus, plene integreqve Sibertus Landerus a Spanheim, non Spaheim, ut uno in loco mendose a Schuzio scribitur.

Sigismundi Hungariae et Boiemiae Regis.] Videbat periculum Ordinis Sigimundus, et prudenter se interponebat, neqve ignorabat Iagello, Vngaros et Boiemos Ordini auxiliaturos, si vellet ac iuberet Sigismundus, in Ordinem propensus, et Vitoldo etiam testatus, Ordinis causam, si efflagitaret necessitas, ab se deseri non posse. Itaqve Vitoldum et Lithuanos a Polonis seiungi cupiebat, et ut consilium felicius procederet, Regis titulum offerebat ei et

promittebat, nec minus Iagellonem ſibi devincire ſtudebat, ceſſo in Haliciam et partem Podoliae iure, qvod propter Vngariam Sigiſmundus habuit, et Poloniae deinceps perpetua lege habendum addixit. At Vitoldus recenti a Prusſis iniuria affectus, ac denuo ſuperbia Vlrici offenſus, eoqve pronior in patruum, qvi patruelem ſummae rerum praefecit, et Vincentio Samotulio deinde reconciliato, Sigiſmundo autem Imperii, qvod ſuſceperat, negotiis impedito, cum exercitu in Prusſiam movit, et robore Polonico tandem vires Prusſicas attrivit. Martinus Cromerus lib. XVI. et XVII. Michovius l. IV. c. 44. Herburtus l. IX. c. 11. Strykovskius in Iagellone, Koialovizius part. II. l. 2. Infauſta cladis et converſionis rerum omina recenſet Schuzius, et faſtum calamitatis praenuncium indicat, atqve exemplo Nicolai Kurovii, Archiepiſcopi Gneſnenſis, et legationis Polonicae principis confirmat,

firmat, lib. III. f. 101. 102. Hic qvid futurum eſſet, praedixit Ordini, fortuna et virium fiducia elato, qvi non modo Lithuaniam invadebat, partemqve eius inſignem ſibi vindicabat, ſed etiam ſacerdotium et ſedem Culmenſem, cum Iacobus Svinka Poloniae ſacris praeeſſet, detraxerat, teſte Michovio l. IV. c. 3. Eo maior indignatio Legati, et inflammatio animi ad ſvadendum Regi bellum fuit. Huius occaſione Samogitia ad ſuſcipiendos Chriſti ritus traducta, et Lithuaniae exemplum ſecuta eſt, apud Michovium lib. IV. c. 39. collat. cap. 45. libri eiusdem. Vtraqve regio ſacra ex Polonia accepit, et poſtea cum Polonia in unam rempublicam coaluit, et Samogitia ſpeciatim propter Lithuaniam coniuncta, et iisdem legibus conſtituta. Per id tempus ab Thracia barbari Turcae finibus Vngariae imminebant, curasqve Sigismundi intendebant, et vicini Scythae ob infeſtas excurſiones haud ſecus

Polonis Rusſisqve metuendi erant, qvorum Regulus Ediga impetum fecit in Rusſiam, et Rusſiae caput Kioviam ferro atqve igni vaſtavit. Sigiſmundo nihilominus potentia Iagellonis et Vitoldi ſuſpecta erat, maxime qvum Boiemi turbarent, et Vngari inter ſe disſiderent, ac Regi ſuo diffiderent, bellumqve, alienato a Iagellone Sigismundo, contra Polonos recuſarent, Mariani autem audacia et feſtinatione praecipites, ad arma irent, et praepotentes vicinos, ac bellicoſos Sarmatas, ruptis, aut reſciſſis iniqve foederibus, in ſe concitarent. Ipſe Henricus Plavenius, qvartus et viceſimus Prusſiae Magiſter generalis, olim qveſtus eſt, iram et offenſionem Dei, violatione foederis et ſuperbia Ordinis contractam, apud Cromerum, lib. XVII.

Relinqvendae Lithuanis Samogitiae.] Haec integre tandem reſtituta, Sudaviaqve ſimul tradita, et fines

nes regionum utrinqve diſcreti ſunt, ut Lithuani annales firmant, et annum rei geſtae ſignant M CCCC XXII. apud Koialovizium part. II. l. 2.

Tranqvillo Ordinis ſtatu.] Non diu ſtatus fuit tranqvillus, nec Magiſter ſtudium pacis valde amplexus eſt, propterea qvod longo tempore cum Lithuanis bellum geſſit; Lithuani enim Livoniam, Livoni vicisſim Lithuaniam vexarunt hoſtiliter et diripuerunt. Ita cum Theoderico Turco, Livoniae Magiſtro, pax ſimul in Livonia extincta, et regio continuis Lithuanorum incurſionibus vaſtata eſt, qvos represſit qvidem Sibertus, et ſemel atqve iterum propulſavit, ſubinde tamen reverſi hoſtes, qvamdiu ille vixit, ab irruptionibus non qvieverunt. V. Ruſſovius et Hornerus.

Inſontem.] Mercatorem, ut ferunt, qvendam Rigenſem, qvi ad furcam damnatus, ob ſententiam iniuſte latam, provocatione ad Dei tribunal

inſtituta, innocentiam comprobare voluit, et in caput iniuſti iudicis deteſtari. Apud Schuzium lib. III. p. 114. Ante hunc Cranzius tradit, ſed Magiſtri nomen ſilet. Vandal. lib. XI. c. 2. Sed narratio iſta, qvam Ruſſovius omiſit, incerto rumore nixa, fabulae affinis mihi videtur.

AD *ZISENVM RVTENBERGIVM.*

AD princ.] Haud uno et eodem modo ſcribitur; ab aliis Ziſo a Rutenberg, qvod ſcripturae genus eſt apud Chytraeum, Silſenus a Rutenberg apud Hornerum. Zyſe de Rutenberch, legitur in Ruſſovii Chronico, nec multum abit Matth. Prætorius, ubi invenio, Zyeſe de Rautenburg. Henninges expreſſit, Ziſa a Rytenberg, Ciſe de Rautenberg, habet Ceymern, Ziſo de Rutenberg, Oernhielmus. Mihi ratio ſcribendi

bendi conſtat, qvæ a veteri Germanica non longisſime recedit.

Ruſſi Pleſcovienſes.] Contra vicinitatis rationem, iniurias vicino Torpatenſi Epiſcopo factas negligebat, qvod ita futurum putaret, ut depellendi hoſtis cauſa, Ordinis patrocinio ſe muniret. Sed ille libertati ſuae timens, Magiſtri auxilio ſe tueri noluit, et contra Ruſſos praeſidium in Lithuania ſibi comparavit. Inde factum eſt, ut Lithuanos, Theoderico Torpatenſi auxiliatum profectos, et propter ſuperiora damna et clades ſibi et Teutonicis illatas, armis peteret, et novam adeo expeditionem pararet, qvam ad nonum eius gubernationis annum retulit Hornerus. His rationibus reſpondet A. C. 1433. Qvem et Kelchius pro vero ſumpſit, in Chron. part. III. ſed in annorum dinumeratione inſignis eſt diverſitas annalium Lithuanorum. Neqve maior eſt ſcriptorum conſenſus in affe-

 renda

renda cauſa ſuſceptae expeditionis, ut mox dicam.

Copias miſit in Lithuaniam.] Hornerus eqvidem affirmat, Ziſenum ad ulciſcendas Lithuanorum iniurias, conſcripto Germanorum Livonumqve magno exercitu, Lithuaniam invaſiſſe, et occupandae tum Lithuaniae, niſi mors praeveniſſet, occaſionem habuiſſe. At vero diſſimiliter haec res traditur ab aliis, et expeditio pro Svidrigelone ſuſcepta memoratur. Huius partibus ſtudebat Magiſter, et Ruſſi, ob Graeca inprimis ſacra, favebant. Atqve is erat Vladislai Iagellonis frater, et ſacro fonte lotus qvoqve Boleslaus dicebatur. Cuius tuendi cauſa Teutonici arma ſumpſerunt, contra Vitoldum, et ſocietate belli inita, Lithuaniam populationibus afflixerunt. Svidrigelo deinde magnus Dux Lithuaniae factus, et reliqvis Candidatis, Alexandro Vlodimiri filio, et Sigiſmundo Korybuto, ex Olgerdi familia, antelatus

tus est, sed propter ingrati vitium Iagelloni, et proceribus Lithuaniae ob crudelitatem invisus, magno ducatu privatus est, subrogato in eius locum Sigismundo Vitoldi fratre, et Kieystuti filio, ac sangvine et successione patris nixo, atqve adeo principe Lithuaniae nato, qvi, ejecto Svidrigelone, suffragio procerum, et consensu Iagellonis, qvem insigniter laeserat, et armis deniqve in magni ducatus possessione est confirmatus. Certis tamen conditionibus, in qvas utrinqve conventum est, ut Sigismundus qvantis posset viribus Svidrigelonem oppugnaret, nec prius, qvam ius postliminii, et Lithuaniam vindicasset, a bello desisteret: deinde ut pristinum coniunctionis foedus inviolatum servaret, et moriturus Regem in magno Lithuaniae ducatu successorem designaret: tum Michael, Sigismundi filius, propter ducatum Trocensem et Starodubensem Regis potestatem agnosceret, et Michaele sine virili sobole defuncto,

functo, ius utriusqve regionis universe ad Regem rediret, sed Lithuania et Volhinia, statim post mortem Sigismundi ad eum, et omnes in regno successores pervenirent. V. supplementum Dusburgii cap. XLIII. et XLIV. Vbi Svvitterga, et Svvitergal dicitur, vulgo Svvitergail. Latine scribentibus Svidrigelo, sive Svitrigellus, a qvo diversus est Skirgello, illius perinde ac Iagellonis frater, qvo pulso, Sigismundus Lithuaniae magnus Dux impositus est, non Vitoldi filius, ut tradit Kelchius, sed frater. part. III. p. 136. Ex Kieystuti familia ortum ait Hartknochius, vere qvidem, sed non satis explicate. Perspicuitatis causa addere potuisset, Kieystuti filium, Gedimini nepotem, Vitoldi fratrem. Vitoldus in hanc, quod recte ex Koialovizio admonet, familiam Lithuanae gentis principatum intulit, qvem postea a Svidrigelone interceptum, Vitoldi frater Sigismundus postliminio recepit. Diversus ab eo

est

eſt Sigiſmundus Koryburus, Demetrii Koryburi filius, Svidrigelonis, ut ante dixi, competitor, et Rex Boiemiae electus, ſed ne regno potiretur, a Iagellone et Vitoldo impeditus. Michovius lib. IV. cap. 46. Vitoldus, qvi Polonis Vitoudus eſt, ex animi aegritudine, nulla ſobole relicta, deceſſit, qvod Iagello prohiberet, qvo minus ad eum perferretur inſigne regium, qvod Sigiſmundus Caeſar miſerat, tabulisqve datis confirmarat. Cromerus lib. XIX. Fulſtinus lib. XIV. c. 7. Koialovizius part. II. lib. 2. In genealogia ſcriptores ſibi non conſtant qvi Korybutum Vitoldi fratrem nuncupant, eumqve cum Sigiſmundo Corybuto confundunt. V. Neugebauer l. V. et ante hunc Fulſtinus lib. cit. c. 9. et 13. collat. Sigiſmundus, de qvo dixi, Kieyſturiades, ad extremum bonos mores, et manſvetudinem immani ſaevitia corrupit, et Lithuaniam caedibus exhauſit, anno 1440. Troci interfectus, et ita magnus Lithuaniae duca-

ducatus, ex formula antiqvi, et nuper cum Vladislao Iagellone renovati foederis, cum regno Poloniae est coniunctus, regnante Vladislao, Iagellonis, qvi anno 1434. obiit, filio natu maiore.

Hic erat Vitoldi frater.] Lege. Hic erat Vladislai Iagellonis frater, et Lithuaniae ducatum Vitoldi morte ad se delatum censebat.

Ediverso eum sibi vindicabat Sigismundus.] Lege. Sigismundus Korybutus, Demetrii Korybuti filius.

Et Vitoldo patre.] Operarum mendum est. Lege. Kieystuto patre natus, ac Vitoldi frater, inprimis Russorum amicitia nitebatur. Perturbatus enim verborum ordo ita corrigendus est, ut rationibus genealogicis consulatur. Prae hoc Sigismundo obtinebat magnum Lithuaniae ducatum Svidrigelo, auctoritate Vladislai Iagellonis firmatus, et Svidrigelone postea deiecto, eiusdem Regis

gis, et Lithuaniae Rusſiaeqve procerum auxilio adiutus.

AD *FRANCONEM KERSDORFFIVM.*

AD princ.] Variis, ut obſervo, modis cognomen ſcribitur: a Chytraeo Francus a Kersdorp, ad qvem proxime accedit Russovius, apud qvem legitur Franco a Kersſtorp. Apud Schuzium, a Kerſchdorff. Ab Hornero nuncupatur Franco Keiſtorf, Spangenbergio videtur appellatus, de Kerſebruck. In antiqvioribus libris reperi, Kerczdorff. Sic et, auctore Michovio, in Prusſico bello captus qvidam memoratur Georgius Kerczdorff, lib. IV. c. 44. Pro Francone alii Franciſcum vocant, ut Ceumernius. Ego in veteri ſcriptura inſiſto, et temere nihil muto. Colligere licet, nec difficile eſt confirmare, Franconis huius gentiles fuiſſe Gersdorffios, ex priſcis Saxonibus, non Vene-

Venedis Czechiis oriundos. Secus atqve aliae in vicina Luſatia familiae ex Boiemia plerunqve prodierunt, ſedesqve ibi ſuas et clientelas diu habuerunt.

Rusdorffius.] Paulus Pellicerus Rusdorffius (Michovio Paulus de Ruszdorff, Ruſſovio de Rosdorp.) Sigiſmundi Caeſaris aeqvalis, temporisqve ſpatio cum Ziſeno, atqve hoc mortuo cum Francone, et ab huius exceſſu, aliqvandiu cum Henrico Schungelio coniungitur, anno 1422. Michaeli Sternbergio ſuffectus, et Magiſter Prusſiae generalis renunciatus, invito Livonienſi Ordine, pro ſuo et eminenti in Livoniam imperio, Kersdorffium conſtituit Magiſtrum, qvi inauſpicati cum Lithuanis belli auctor, caeſis ſuorum viginti millibus, tantam accepit cladem, qvantam ante eum nemo. Ruſſovius Chron. part. II. Pace Breſciacenſi A. 1436. inter Vladislaum, et Paulum Rusdorffium, facta includi noluit, qva ingenii aſperitate,

ritate corrupit consilia, et mala, qvae vitare potuerat, attraxit. Schuzius l. III. fol. 128. Nam clade, qvae consecuta est, nihil unqvam accidit Livoniae gravius, qvando viginti millia hominum in praelio desiderata sunt: decem millia cecidisse retulit Hornerus. Pacis illius capita legenda sunt apud Schuzium l. III. Hartknochium rerum Pruss. part. II. c. 2. et Venatorem inprimis p. 135. seq. Praeterea in Magistri invidiam vertit fratris eius Volteri Kersdorffii facinus, qvi Livoniae thesauros, qvos aerario inferri oportuit, in Prussiam avexit. Russovius c. l. ex eo Kelchius part. III.

Sigismundus.] Kieystuti, de qvo semel et iterum dixi, filius, Boleslai Svidrigellonis aemulus et hostis, ac postremo in Samogitia, qvam Kersdorffius ex foedere invaserat, profligatis Livonum copiis, victor. Ipse enim Magister evadere non potuit, et Svidrigelo, rebus perditis, tota iam Lithuania extorris, in Daciam profugit.

Loco ſane iniqvo pugnabat Kersdorffius, et ubi propter paludes ac ſilvas difficilis receptus erat. Nemo hic fortunam accuſat, qvi imprudentiam animadvertit. Vicinorum eo tempore ſtatus, et auctae confirmataeqve Iagellonidarum vires, et inſignis rerum diverſitas, ac potentiae diſſimilitudo, et dubii praeliorum caſus, atqve incerta poſt cladem auxilii expectatio, alia tunc conſilia poſtulabant. Koialovizius part. II. lib. 2. p. 166. Vbi pro Sancius, omnino legi debet ſaucius, hoc ſqvidem verborum contextu. Magiſter ipſe ſaucius vix cædi caput ſubtraxit. Atqvi in acie caeſum aliqvi tradunt, novisſime Kelchius part. III. p. 138. Nullos enim in Livonia Sancios memini, qvos in Hiſpania regnaſſe, nemo eſt, qvi ignoret.

AD

AD

HENRICVM SCHVNGELIVM BOCKENORDIVM.

AD princ.] Apud Chytraeum eſt Henricus a Bockenforde. Ruſſovius ſcribit, Henricum Schungel a Buckenorde, ſive ut Kelchius ad Tiotiſmum noſtratem propius, a Buchenorde. Caſp. Schuzius vocat Henricum de Buckenode, et aliter dictum putat, Schnugel, niſi operarum id vitium eſt, et ſcribere, ut opinor, voluit, Schungel. Ceumernius nuncupat Henricum de Bohenfort, et addit ſecundum alios, de Buckenode. Hornerus aliter, ubi ſcriptus legitur Buckennodus Scingelius. Ego prae ceteris ſeqvendum duxi Ruſſovium, praeſertim qvum veteres ſchedae proxime ad ſcripturam accedunt.

Irritum fecit.] Magiſter generalis hoc iure eligendi provincialis Li-

voniae Magiſtri, inde a temporibus Hermanni Falkonis, utebatur, et in conventu ſodalium Ordinis, atqve adeo in Prusſiae Comitiis, exercebat, non ſuopte tamen arbitrio, ſed aſſenſu praeceptorum, qvi dicebantur inprimis maiorum, indicio temperatae poteſtatis, qva Eqvitibus Livonicis, ut cauſam electi iniuſſu ſuo Magiſtri dicerent, iniungebat: neqve hi auctoritatem Magiſtri generalis, tanqvam principis, defugiebant, et electionem ab ſe factam, rationibus a miſeria temporum, et neceſſitate ſumptis, modeſte excuſabant. His tandem acqvievit Rusdorffius, ut pius et aeqvus princeps fuit. V. Ruſſovius, et in parvo Chronico Hennenbergerus. Sed alienatis ab eo praecipuis ſodalibus, et ſigillatim Ordinis praeceptoribus, indigne habitus, et in praeſentiſſimum diſcrimen adductus atqve ex comitiis, qvae Mariaeburgi indixerat, Gedanum profugere coactus, ad ultimum vel invitus Magiſtratu ſe abdicavit.

Apud

Apud Schuzium l. IV. et Hennenbergerum c. l. Imo dignitas ei abrogata est per sententiam praeceptorum, qvi Magistros generales, a senatu sive a Capitulo, ut loqvuntur, tribus vicibus in ius vocatos, neqve vadimonium obeuntes Magistratu movere potuerunt. Qvod ex libro LL. et consvetudinum Ordinis patet, atqve ex Vaisselio satis liqvet.

Controversias, qvae erant inter Ordinem.] Pro amore in pacem, omnia agebat, et negotia inprimis ardua componebat, a litibus autem, qvæ bella susciterent, maxime refugiebat. Bene et apposite ad hanc rem historia contracta tradit. Cum Henningo Archiepiscopo Rigensi, et collegio Canonicorum de omnibus controversiis transegit, magna vi pecuniæ accepta, qvam pro aestimatione litis numerare coacti sunt. Erant enim milites Canonicis, et Canonici vicissim militibus infensi, propter do-

minationem, ſicut fieri ſolet, mutuasqve lites ſibi inferebant. Qvibus verbis aemulationem potentiae ſignificat, et culpam in utrosqve aeqvaliter confert, atqve Ordinis cauſae haud obſcure ſtudet, cum omnes fere ſcriptores cauſam litis atqve initium a Magiſtris Livonienſibus ducant.

AD
HEIDENRICVM FINCKIVM.

AD princ.] Integre ſcribitur Heidenricus Finckius (al. Vincus) Auerbergenſis, ſive de Auerberg: perperam de Cluersberg, apud Matthaeum Praetorium. Heidenr. Fincke de Auerberg, apud Ruſſovium, Ceumernium et Kelchium: Heidenricus Vincke, apud Chytraeum.

Conradi Erlingshauſii.] Aliis Erlichshuſii, qvinti et ultimi, inter Ma-

Magiſtros generales, Conradi nomine appellati, cuius auſpicio conſtitutus eſt Finckius, Livoniae Magiſter. Numi, qvi dicuntur, Conradini, diu ante hunc facti et flati ſunt, inprimis aurei, iuſſu et auctoritate Conradi Zolneri, illius nominis III. Id qvod epigraphe indicat, et refellit Schuzium, qvi ad Conradi Vallenrodii Magiſtratum referre maluit, lib. II. f. 88. Hennenbergerus a tribus Conradis, haud dubie a Conrado, qvem deſcribit, Iungingenſi proximis, numos tales cuſos, et ita dictos putat. Ad tab. Geogr. p. 298. Haud recte, ſi de numis aureis intelligit, qvos omnium primus cudit Zolnerus. At duriora fuere tempora Erlingshuſii, et moneta propter cladem Tannenbergenſem, et bella Polonica deterior, cum opes Ordinis vix ſufficerent ſumptibus, qvos apparatus bellici reqvirebant. Seneſcente fortuna, etiam Magiſtrorum auctoritas deminuta, et inde a Rusdorffii temporibus magis circun-

ſcripta eſt, qvod eorum temporum acta, ſpeciatim pacis, belli et foederum ſatis confirmant, et pariter ſcriptores Prusſici teſtantur. Nec praeereunda ſunt exaugurationum et exauctorationum, ut vulgo nominant, exempla, qvibus non parum labefactari coepit ſumma iſthaec dignitas, qvando Magiſtri generales exaugurati, et loco moti ſunt Ludolphus Konigius, Henricus Plavenius, Michael Sternbergius, et novisſime Rusdorffius, apud Grunovium, Vaiſſelium, Schuzium, Hennenbergerum, et domeſticos illius gentis ſcriptores. Qvibus rebus contigit, ut certis deinde legibus aſtringeretur ius exaugurandi, qvod praeceptores atqve commendatores Ordinis exercebant, ac licentia interdum et libidine metiebantur, qvod ex libris conſvetudinum et privilegiorum facile confirmatur.

Ruſſiamqve invadit.] Duas in Ruſſiam expeditiones ſuſcepit, non defen-

defendendi necesſitate, ſed cupiditate bellandi. Arcem Semegalliae in Lithuaniae finibus Bauskam extruxit, qvam alii Bauskenburgum nominant, ut legere licet apud Ruſſovium et Chytraeum. Ego in contextu operis, et in extremo vitae huius Magiſtri, Buskenburgum, auctorem Hornerum ſecutus appellavi.

AD *IOANNEM OSTHOFFIVM.*

AD princ.] Ruſſovius et Hornerus in ſcriptura diſſentiunt; ab altero enim dicitur Iohannes Oſthoffius de Mengeden, ab altero Iohannes Oſtophius a Mengen, a Chytraeo Ioannes a Mengeden vocatur. Henninges Ruſſovium ſecutus eſt, Ceumernius nuncupat, a Mengden. Matth. Praetorio eſt Ioannes Oſthoven de Mengeden, Kelchio Ioannes Oſthoff de Mengden, qvod plene et Latine

tine licet exprimatur. Ioannes Osthoffius Mengedenus.

Casimiro IV.] Vulgo, sed minus recte, III.

Nihil auxilii submisit.] Dissidiis domi implicitus, arma in praesulem Rigensem vertit, et communem defensionis causam neglexit, eo praesertim tempore, qvo Ludovicus Erlinghausius auxilio maxime indigebat, ac gravi et difficili Polonorum bello premebatur. Nam civitates Prussiae privilegia sua ab Ordine violata conqvestae, assumpto in societatem Ordine eqvestri, foedus pangebant, qvod Ludovicus dissolvi cupiebat: sed illi patrocinio Casimiri se muniebant, missisqve ad eum internunciis, A. 1454. in verba Regis iurabant. Coeptum inde bellum, et varia fortuna gestum, usqve dum Ludovicus diuturnarum in Prussia factionum, et belli tredecim annis cum hoste gesti pertaesus, exhaustisqve opibus debilitatus plane et fractus, anno

no 1466. pacem cum Rege Casimiro iniret. Qvo pacto dimidia Prussiae pars ad Polonos pervenit, reliqva sub lege clientelari Magistro et Ordini relicta, ex eoqve tempore facies rerum Prusficarum insigniter est mutata. Cranzius Vandal. lib. XII. c. 17. 20. 27. & 30. Schuzius lib. IV. p. 162. seq. et l. V. p. 184. seq. Martinus Cromerus lib. XXII. seq. et XXVI. Sal. Neugebauerus lib. VI. De motu Prussorum contra Ludovicum Michovius lib. IV. c. 60. et de morte eius lib. eodem cap. 68. Princeps qvidem mitis fuit et bonus, sed primoribus Ordinis et praeceptoribus per omnia obnoxius, adeo ut qvaedam instituta, a Paulo et Conrado Magistris generalibus approbata convelleret, foedusqve pro defensione initum rescinderet, et tributis portoriisqve auctis, vexari fortunas, et violari privilegia, ac labefactari commercia, et ipsos adeo populi nervos incidi pateretur. Contra svasit Finckius, consilium rogatus, et moderatione

ratione ac benevolentia placandos eſſe animos per epiſtolam ſcripſit. Qvod ubi neglexit, plagam inflixit reipublicae, et pacem Ordini pernicioſam aeqve ac ignominioſam fecit, cuius capita qvaedam nimis dura, et cum iniqvis conditionibus coniuncta, ac neceſſitate expreſſa notavit pridem atqve improbavit Io. Caſp. Venator lib. II. cap. 10. p. 199.

Kerckholmienſis.] Sive Kirchholmenſis, anno 1453. ipſo anniverſario Andreae ſacro facta, apud Hornerum, Ruſſovium et Chytraeum. Eodem tempore Rigenſis Antiſtes Silveſter, Magiſtri inductu, pro ſe, et ſucceſſoribus, et ſacris patribus atqve Canonicis fidem obligavit, eodem deinde habitu, qvo Ordo ſe inſignivit, uſuros. Eam in rem confecta eſt bulla habitus, ut vulgo nuncupatur. Idem Magiſter a Magiſtro generali ſingularem gratium iniit, et perſoluta ingenti pecunia, Eſthoniam non dependenti ab eo iure poſſidendam accepit,

qvod

qvod transactio, qvae in A.C. 1459. incidit, manifesto declarat. Nam aere alieno oppressus tunc Ludovicus, in summo existimationis et salutis discrimine erat. Sub haec tempora Carolus Canuti, Sveonum Gothorumqve Rex, gratum fecit Ordini, et summam pecuniae mutuam dedit, atqve eo nomine possessiones qvasdam pignore obligatas in Prussia accepit, sed eas in bello Polonico, et sortem ipsam, turbulento rerum Prusicarum statu, amisit. Apud Pufendorfium in continuat. Introd. histor. de regno Sveciae p. 22. Contra Prusici annales pecuniam Gedanensibus, qvi ab Ordine secessionem fecerant, mutuo datam ferunt. Schuzius lib. VII. f. 336. Kelchius ex Livonicis annalibus tradit, eum tranqvillis adhuc Sveonum rebus, scripta ad Consules Revalienses epistola, alienioris ab Ordine animi significationem dedisse, et Magistro (Ioanni Osthofio, qvi ea dignitate fungebatur) vim bellumqve comminatum esse,

se, si Hariam et Viriam denuo in Daniam transferret, qvod ne fieret, omnibus modis impedire constituisset, part. III. p. 141.

AD *IOANNEM VOLTHVSIVM.*

AD princ.] VVoldthusen, potiores scribunt, Russovius, Chytraeus, Kelchius: a VVolthausen Henninges, de VValdhausen Praetorius, de VVusthusen Ceumernius, alii apud eundem VVolthusen de Herse; alii de Ferse, rectius apud Kelchium, scribunt. Plene igitur oportet scribamus, Ioannem Volthusium Fersenium.

Licentia qvorundam.] Haec ut in Prussia, sic in Livonia qvoqve mali moris exemplo invaluit, et spreta Principum auctoritate, concordiam simul et tranqvillitatem sustulit, nec vanum

vanum ruentis potentiae, et imminentis reipublicae conversionis signum fuit, Russis postea et Sarmatis, qvod eventus docuit, in ultionem perfidiae excitis. Haud aliter sensit Hornerus, et Volthusium perfidia suorum a Magistratus dignitate dimotum scripsit, ob eamqve causam Livoniam iusto Dei iudicio graviter afflictam, nunc incursionibus hostium petitam, nunc intestinis bellis confectam, nunc aliis calamitatibus publicis, et miseriis pressam, ingenue est fassus. Russovius contra ius fasqve eum Helmeti captum, et Vendae in custodiam traditum memoravit. Iniqvam Magistri fortunam, et aerumnosum in carcere mortis genus omnes tradunt. Schuzius l. VIII.

Tolsburgam.] Esthoniae arcem, inter Revaliam et Narvam, in ora sinus Finnici, in tractu Viriae sitam, et A. 1475. aedificari coeptam. In Topographia Meviana, ut multa alia minus accurate, ita in hoc qvoqve argumen-

gumento minus accurate principium conditae arcis reiicitur in annum 1219. Deſcript. Livon. p. 27.

AD *BERNARDVM BORGIVM.*

AD princ.] Chytraeo, Ruſſovio, Henningeſio, Ceumernio, a Borch, Praetorio a Burg: Hornero auctore, et ſervato veteris Teutoniſmi veſtigio, a Borg, et Latina ſcribendi ratione Borgius appellatur.

Ioanni.] Volthuſio, contra qvem deſignatus eſt Borgius, et vivo illi, atqve antea electo oppoſitus, ac potentiori factione confirmatus, defendit acriter, et conſtanter retinuit dignitatem. Vtriusqve diplomata extant, et documento ſunt, ſimul prenſaſſe honorem, et ſibi adverſatos, promulgaſſe contrarias qvoqve tabulas, neqve, ut vulgo putant, alterum poſt alterum

terum Magistratu fungi coepisse. Kelchius part. III.

Praelis ac periculis.] Toto conatu, et cunctis viribus in bellum incubuit, atqve exercitum numero et viribus maximum in Russiam immisit, et agro direpto, nullum crudelitatis genus omisit, Plescoviam expugnavit, Iseburgam diruit, et regionem populatus, magnam inde praedam avexit. Centum millia sub signis habuit, cum in terras hostiles duceret, qvantas in Livonia copias nemo ante eum comparavit, ut auctor est Hornerus. Russi hac irruptione irritati, atqve ira incensi, armis sumptis, vicissim in Livoniam excursionem pararunt, et damna genti illata ulti sunt, direptis atqve exustis arcibus, Fellino et Torva, summae pasim crudelitatis vestigia reliqverunt. Hanc vastitatem deinde belli intestini calamitas secuta est, ex eaqve magnam existimationis iacturam fecit Borgius, et Sixtum IV. Pon-

 tificem,

tificem, nuncio civilis discordiae Romam perlato, graviter commovit. V. infra. Expediebat tunc, post cladem Varnensem, et captam Constantinopolin ac Trapezuntem, iniri concordiam, et vires Christianorum coniungi ad bellum Turcis inferendum, atqve ad tuenda Aegei et Mediterranei maris claustra, postqvam barbari patefacto per fretum Bosphori, et Isthmum transitu, in Europam et Graeciam, copias traduxerunt, iamqve Sarmatiae et Moesiae Vngariaeqve finibus appropinqvarunt. Sed consilia sine rebus fuerunt, et bella domestica ac factiones magno Christiani Orbis damno in Prussia, Italia, Vngaria, Burgundia exarserunt, principesqve a conatu et proposito piarum expeditionum deduxerunt.

Torva.] Arx Esthoniae, vulgo Tarvestum dicta, Russovius part. II. Tarvastum alii scribunt, ut Kelchius part. III.

Cru-

Crudelitati expoſita.] Auctor belli Borgius, crudelitatem ulturus, A. 1480, rurſus in Ruſſiam movit, ſed alieno anni tempore, et circa brumam, magno conatu, ſed nullo ſucceſſu, et occaſione cunctando amiſſa, ut Cranzius memorat Vandal. lib. XIII. c. 18. Re infecta, Ruſſi deinde maiori impetu in Livoniam effuſi, totam illam regionem rapinis caedibusqve exhauſerunt.

Invidiam conflavit.] Salvis foederum religionibus, bellum concitare non debuit Borgius, qvo turbaretur Livonia, et Silveſtri dignitas violaretur. Erat is primus Livoniae Antiſtes, et primus adeo princeps, cuius auctoritatem agnoverunt non tantum Livoniae, ſed etiam Pruſſiae Epiſcopi, Culmenſis, Varmienſis, Pomeſanienſis et Sambienſis. Silveſtro in carcere, non ſine veneni, a Magiſtro praebiti, ſuſpicione mortuo, Stephanus Grubenius Lipſienſis a Sixto

IV. Antiſtes creatus eſt, qvem Borgius qvidem ſacra dignitate, et ſummo Rigae ſacerdotio prohibere ſtuduit, ſed auctoritate Sixti defenſus, ſuſcepit delatum Archiepiſcopi munus. At rebus invidia Magiſtri male conſtitutis, bonisqve vafre interceptis, aut vaſtatis, magno dolore affectus, morbum contraxit, et non multo poſt e vita exceſſit. Necdum qvietis patiens Borgius, Michaelem Hildebrandum deſignavit Archiepiſcopum, eiusqve inaugurandi cauſa omnem curam et laborem adhibuit, Rigamqve ob ſedit. Inde repulſus, cum nihilo eſſet qvietior, Sixtus IV. interdicti formula in eum animadvertit, neqve mitius in propinqvum eius Simonem conſuluit, et ſeveritate diſciplinae ſacros Livoniae Ordines in concordiam redegit. Cranzius, Ruſſovius, Hornerus, Chytraeus, Kelchius, ſuo qvisqve loco, viruperandis Bernardi moribus materiam ſuppeditarunt.

AD

AD

IOANNEM FREITAGIVM.

AD princ.] Ioannes Freydag Chytraeo, Fridagus Hornero, Io. Frydach de Lorinckhave Ruſſovio, Iohannes Frydach, vel Freidanck a Lorinckhave, Henningeſio, Io. Freytag de Loringhaven, aut ſecundum alios, de Loringhofe, Oernhielmo de Loringhoffvven. Herm. Stangefolio, a Lörnickhave. Ego poriſſimum auctoritate Ruſſovii ducor, ut Loringhavium Latine ſcribam.

Rigenſes.] Bellum a Bernardo coeptum, et abrogato ei ex edicto Pontificis Magiſtratu, intermiſſum, non ſtatim ſopitum, ſed a Ioanne inſtauratum, et ne inultas Rigenſium iniurias ſineret, acriter continuatum, cuius initium minus proſperum habuit, et a Rigenſibus victus, atqve in fugam coniectus eſt: levi praelio di-

micatum esse, tradit Hornerus, in qvo seprem duntaxat Mariani milites caesi, ac totidem capti. Haud multo post damnum repositit, et cladem clade ultus est profligatis ad Novam molam Rigensibus, qvae victoria depressit Rigensium animos, postqvam copias ad oppugnandam vrbem admovit. Itaqve oblivio praeteritorum sancita, et pax certis, qvae in vita Ioannis memorantur, conditionibus restituta. V. Russovius et Chytraeus. Ad huius Magistri tempora referunt initium Narvae, qvae Rusica discriminis gratia nominatur. Altera, eaqve Livonica, antiqvior est, et Valdemaro II. originem refert acceptam.

Ioannes Magnus.] Ioannes Basilii filius, sive Ioannes Basilides, huius nominis primus, anno 1479. Novogardiam Rusiae vrbem, amplam arqve opulentam expugnavit, et magnam ibi pecuniae vim nactus, trecentos currus, auro, argentoqve onustos inde

de in Moſcoviam avexit, atqve his divitiis auctus, Scytharum excusſit iugum: deinde ſumpto ab ſucceſſu animo, vicinos oppugnavit et depopulatus eſt: tum condita ad Narvam Ruſſicam arce, in Livoniam excurſiones fecit, de qvibus infra commemoratur. Herberſteinius annum captae Novogardiae tradit 1477. in rerum Moſcoviticarum commentariis p. 54. Congruit cum his temporum rationibus Strykovskius in deſcriptione Ducatus Moſchoviae. Qvos ſecutus eſt Petrus Petreius in hiſtoria magni ducatus Moſchoviae p. 73. Secus atqve Michovius annum ſumit 1479. et vrbem Caſimiri Regis culpa neglectam notat, l. IV. c. 77. Ad huius ſententiam acceſſerunt Phil. Labbeus, et Brietius, ſed in dubio reliqvit Henningeſius, neqve annum deſignavit Cranzius, qvi expugnationem aſtu factam docet. Vandal. l. XIII. c. 15. Qvae vrbs ut Moſchi potentiam auxit, ſic vires Lithuaniae inclinavit, teſte ipſomet

Koialovizio, qvi vrbem A. 1478. captam putat. Mihi idonea causa est, qvamobrem assentiar Michovio, cum qvo facit Russovius, non spernendus rerum Livonicarum scriptor, neqve in Rusficis peregrinus.

Propter suos (l. duos) Russos.] Alter eorum nummos adulterinos cuderat; alter in flagitio nefandae libidinis deprehensus fuerat: iste capitis supplicio affectus, hic vivus crematus. Causa offensionis et irae praecipua fuit, qvod cum iste duceretur ad rogum, aliqvi civium astantium dixissent, se haud mitiori modo cum magno Duce, si coram esset, acturos vivumqve combusturos. Qvo asperiori dicto exasperatus est Magni Ducis animus, ut mercatores Germanos, Novogardiae comprehensos, morte mulctaret, ac deinde Livoniam invaderet, et immaniter vastaret. Cranzius Vandal. l. XIV. c 22. Praeter hunc Russovius, ex eoqve Kelchius.

Ita

Ita vero factum est, ut deinceps hanc vrbem non freqventarent Germani, qvae antea sedes commerciorum fuerat, et emporium Rusfiae florentisfimum, velut antehac in Pomerania Iulinum, in Gothlandia Visbyum, apud Norvagos Berga, atqve in Belgio Antverpia et Brugae, seu fatorum vi, seu vicisfitudine temporum, qvam non modo non homines, sed ne populosae qvidem vrbes evitare possunt.

AD
VALTERVM PLETTENBERGIVM.

AD princ.] Iac. Aug. Thuano Valterus Pletembergus: in commentariis rerum Moschoviticarum a Pleterberg, librarii culpa. Nihilo melius a Spangenbergio scribitur a Pleiberg, a Koialovizio Platembergius. Verum, et multis seculis inclytum cognomen in annalibus

veteris Saxoniae eſt, a Plettenberg, qvod more Latino in contextu hiſtoriae eſt a me expreſſum. Qvum familiam noſtra memoria exornat Fridericus Chriſtianus, Antiſtes Mimigardevordenſis, ſive Mimigerodenſis, ſive, ut tradito a recentioribus exemplo loqvimur, Monaſterienſis, anno M DC XXCVIII. feſto ſolenniqve ritu inauguratus, Bernardi Baronis Plettenbergii, et Odiliae Furſtenbergiae, qvae Ferdinandi Paderbornenſium et Monaſterienſium Praeſulis, ab ingenii monimentis maximi, ſoror fuit, filius, et maioribus, qvos hic referre longum foret, iure exaeqvandas. De inſigni gentilitio, qvod oſtendit clypeus aureo et coeruleo colore diſtinctus, agit Theodorus Hopingus de iure inſignium part. VIII. c. 6. In libro vernaculo hodie imperantis Europae p. 165. mendum in ſcriptura nominis animadverti.

Apud omnes gratioſus.] Antiqvitate

qvitate generis, virtute animi, magnitudine rerum, et mira agendi felicitata amorem ſibi et gratiam conciliavit, atqve inter omnes Livoniae Magiſtros auctoritate et fama praecipue eluxit, atqve Ordinis huius, qvem Vinno inſtituit, omnino fuit inſtaurator, inde a primo eius conditore tertius et qvadrageſimus, ac ſupra omnem invidiam et aemulationem poſitus, et heroica virtute praeditus. Thuan. hiſtor. l. XXI. et Stangefolius annal. VVeſtphal. l. III. Vbi vitio operarum excuſum eſt, VVimone, pro Vinnone.

Ad pacem cum vrbe Rigenſi.] Diſſidia inter Ordinem, et Antiſtitem Vrbemqve, prudenter ab eo compoſita, et res domi feliciter conſtitutae ſunt, ut placatis utrinqve animis, non tantum rationes pacis oſtenderet, ſed etiam in dubio, et difficili illorum temporum ſtatu, praeſtaret. Qvare neminem ei prudentia, vel magnitudine rerum, qvas geſſit, anteferendum putat

putat Hornerus, cum qvo consentiunt Russovius, Chytraeus, Thuanus, Stangefolius, Venator. Ipsi Livoniae Antistites eam comprobarunt operam, et in Plettenbergii summo pacandae reipublicae studio acqvieverunt, et nominatim in Esthonia Torpatensis, atqve in Curonia Piltensis agnoverunt merito, et aeqvitate iudicii arbitrarii libenter confirmarunt. V. Russovius et Oernhielmus.

Saxones Vestphalosqve in Livonia.] Tradunt hoc omnes superiorum temporum scriptores Hövelius, Hamelmannus, Chytraeus, Eqvites Livoniae a Saxonibus occiduis Vestphalisqve esse oriundos, et vrbes etiam esse Vestphaliae colonias, Rigam Bremae, Torpatum Tremoniae, qvod de hac qvidem ex Hamelmanno repetit Stangefolius lib. III. p. 353. De ordine eqvestri, ex Chytraeo libro eodem. p. 537.

Tarva-

Tarvaſtiam.] L. Taveſtiam, ſive ut alii ſcribunt, Tavaſtiam, Finniae provinciam, armis Erici balbi domitam, et ritu Chriſtiano cultam. Ioannes Magnus hiſtor. Gothorum Sveonumqve l. XIX. c. 15. et Olavs Magnus hiſtor. gentium Septentr. l. II. c. 25. Taravaſtiae ducatum nominat Iacobus Zieglerus in Schondia. p. 496.

Ivanogrodam.] Ab nomine Ivani, ſive Ioannis Baſilidae dictam, A. 1492. ad Narvam fluvium, Livonici qvondam et Ruſſici imperii limitem, extructam, ut fines contra Livonos et Finnos muniret, et regionis adeo illius clauſtrum eſſet. Herberſteinius in commentar. p. 55. et Strykovskius in deſcriptione Moſchoviae p. 164. Koialovizius part. II. l. 6. p. 262.

Cum Alexandro.] Caſimiri IV. filio, qvi A. 1492. magnus Dux Lithuaniae A. 1501. Rex Poloniae deſignatus, A. 1502. Helenam Ioannis Baſilidae filiam duxit, ut amicitiae pacisqve coaleſcentis pignus eſſet. Koialovizius

zius part. II. l. 6. Hoc argumento Sigismundus Herberſteinius ait, Plettenbergium ab Alexandro, contra qvam promiſerat, auxiliaribus copiis deſtitutum, nihilominus iniiſſe praelium, et diſſipaſſe hoſtes, qvod A. 1502. eveniſſe tradit. Commentar. p. 85. At non unum commiſit praelium, ſed priore anno 1501. hoſtes in Livonia, deinde in Ruſſia ad Pleſcoviam profligavit. Ita conciliandi ſunt Bredenbachius, et Herberſteinius, iſte in hiſtoria belli Livonici p. 227. hic commentar. l. c.

Baſilium Ioannis filium.] Lege Ioannem Baſilii filium, qvi anno 1504. deceſſit, ut Ruſſorum annales tradunt, ex iisqve Koialovizius part. II. l. 6. p. 298. Micraelius in chronologia et genealogia magnorum Ducum eſt corrigendus.

Cum Magiſtro generali.] Alberto, Marchione Brandenburgico, et huius dignitatis ultimo, a cuius impe-

imperio se exemit anno Dionysiano 1521. Contra qvam existimant Russovius Schuzius et Chytraeus, qvi A. 1513. id accidisse putant. Hos secuti sunt Henninges, et Leonh. VVurffbainius, iste Oper. genealog. qvart. tom. part. postrem. p. 350. Hic in relat. histor. Habsb. Austr. p. 191. Haud aliter existimavit Bernardus Connor, physiologus melior, qvam historicus, in cuius descriptione nuper edita magnus est hiatus, praesertim qvum recensuit Magistros Ordinis Livonici, et tres ac viginti eorum praetermisit, qvorum notitia auctorem fugit, neqve id dissimulavit, p. 801. edit. German.

Auspicio Caroli V.] Non Maximiliani I. ut VVurffbainius tradit. Reliqvi fere omnes pro certo affirmant, Plettenbergium Caroli V. indulgentia beneficioqve principem Imperii creatum esse. Hi ergo initium creationis in anno Ch. supra millesimum qvingentesimum decimo tertio,

tertio, aut proximo decimo qvinto conſtituere non poſſunt, propterea qvod neuter annus cum Imperio Caroli V. congruit, qvippe qvi anno milleſimo qvingenteſimo undevigeſimo demum auguſtam Imperii dignitatem ſuſcepit, nec prius diploma dare potuit, qvam deſignatus eſt Imperator. Ab anno 1525. haec dignitas conceſſa ſit oporret, qvando Albertus Livoniam priori nexu, iurisqve iurandi religione, edito eam in ſententiam reſcripto, ſolvit. Duo extant diplomata, alterum anno 1521. die Michaelis Regio monte, alterum 1525. die Iovis, poſt diem Valentino ſacrum Poſonii confectum eſt: illo Plettenbergio conceditur, iſto noviſſime ab Alberto confirmatur exemptio a dominio Magiſtri generalis. Qva dignitate non dependente parta, Carolus deinde Plettenbergium renunciavit principem, eumqve in ſenatum Imperii cooptavit. Eo legendus Fridericus Menius in hiſtorico prodromo Livonici iuris,

iuris, Claud. Arrhenius, et Christianus Kelchius, recte et merito a Russovio et Chytraeo dissentientes. Qvare mutandus est Im Hofii, insignis Genealogi, numerus, qvo annus 1515. signatur. In notitia Imperii lib. III. cap. 19. Sane annus, qvo summa, nec Magistro generali devincta potestas, redempto confirmandi iure, acqvisita traditur, plerunqve confunditur cum anno, qvo collata est dignitas Imperii principalis. Saepe mihi in mentem venit mirari, qvamobrem Russovius, scriptor domesticus, praetermiserit annum, qvo Plettenbergius est creatus Imperii princeps. Non id explicatum reddidit Hornerus, neqve commemoravit Bredenbachius, neqve indicavit Venator, diligens, cum viveret, Teutonici Ordinis sacerdos. Recte hic alioqvin novum hunc Principem comparavit cum Iuda Maccabaeo, tanqvam animoso duce, et propugnatore Livonicae libertatis. Alii panegyrico loqvendi modo, laudem

eius concelebrant, alii breviter argute qve exponunt, nec solum prudentiam eius ac iustitiam praedicant, sed qvoqve prosperam fortunam admirantur.

AD *HERMANNVM BRVGGENEVM HASENKAMPIVM.*

AD princ.] Apud Chytraeum legitur Hermannus Hasenkamp, plenius apud Russovium Hermannus de Bruggeney cognomine Hasenkamp. Ab Hornero scribitur Hermannus Hasenkampius a Bruggeney, ordine inverso. A Matth. Praetorio, Hermannus de Bruggeneis Husenkamph. Mihi ratio suppetit seqvendi Russovium, nec desunt non dissimiliter scribentium exempla.

Avitis privilegiis.] Multa et lucu-

luculenta huius Vrbis privilegia commemorantur, maxime qvod cum Esthonia, speciatim Haria et Viria, per Ioannem Osthoffium Mengedenum a superiore generalis Magistri iurisdictione exempta esset, et deinde a Valtero Plettenbergio, datis publice tabulis, eo in statu confirmata, novum, de non provocando ad tribunal Imperii, privilegium accepisset. Qvo Riga Livoniae metropolis gloriari non potuit, qvandoqvidem ab ea provocationes iuridicae ad summum Imperii tribunal factae sunt, ut res praeiudicatae in summo Nemetum tribunali, et superioris aevi exempla confirmant, apud Ioach. Mynsingerum singul. Observ. cent. IV. obs. 54. et apud Adrianum Gylmannum in praeiudiciis Camer. Imperialis, p. 31. Ex eo Theod. Reinkingius de regim. secul. et eccles. lib. I. class. 2. c. 9. Io. Limnaeus I. publ. t. I. c. 9. Ex his Franc. Irenicus, sive Oldenburgerus in colleg. Iur. publ. part. III. p 85. Sed mox

addit, Livoniam virtute Teutonicorum, imperante Friderico I. imperio adiectam. Qvod falso tradit, documento diplomatum, qvae infra subiiciam, coarguendus. In his adeo provocationibus, sive appellationibus semper excepta intelligebatur Esthonia, qvod Limnaeus submonere debuit, ideo qvod Esthonia sub Livonia generatim dicta continetur: in hoc autem capite Livonia propria seperatas rationes habet, propter superiores cautionum et confirmationum formulas, qvas eo nomine Esthonia, salvo tunc summo Imperii iure, ideſt, ex privilegio, accepit. Menius c. l. p. 13. Riga vero caput est Livoniae propriae, et eius Archiepiscopus qvondam Imperii princeps, et potestate in eam vrbem praeditus. Secus at qve Episcopus Revalienſis, qvi nullum ius in vrbem habuit, sed imperium civile tantum penes Magistrum Ordinis fuit. Alexander Gvagvinus, sive Matthias Strykovskius, ex hoc auctor exce-

exceptorum, Elzevirianae editionis, p. 362. In his et aliis rebus haesitant plerunqve scriptores novi, et inter hos Io. Aug. Verdenhagius, et nuper in relatione historica Henricus Meyerus, qvum ad Livonica digressionem instituit. c. XI.

In tempora incidit.] Pactis in qvinqvaginta annos induciis, glisce-bant sensim factiones, ac principe Ordinis Hermanno, liberius erumpebant, et cum sacrorum mutatione, vehementer auctae, exulcerabant animos, maioribnsqve turbis causam dabant. Thuanus hist. lib. XXI. Kojalovizius part. II. lib. 8. Qvibus modis cives soluti metu, et laxati curis, atqve ab armis ad voluptates conversi, amissa recti moris disciplina, et sublata legum reverentia, confectisqve ad ultimum luxuria viribus, ex pristinae felicitatis gradu deciderunt. Qvam Livoniae conversionem anno 1445. prospexit ante et praedixit Ana-

choreta qvidam Moſellanus, et magno locorum intervallo a Livonia remotus, apud Schuzium lib IV. f. 151. Ruſſovius ab Hermanni temporibus initium ruentis in ſuam perniciem Livoniae repetit, corrupti populariorum moris oculatus teſtis, atqve adeo fide dignus, et a Kelchio laudatus. Qvo legi poſſunt Theodorus Sorbachius in carmine, qvo Livoniae vicem ſuam dolentis, Germaniamqve, ut ex ſuo malo ſapiat, admonentis imaginem proponit; Laurentius Ludenius in programmate ſingulari, et Iacobus Breverus in oratione, qvae inſcribitur conversio Curoniae.

Iure Lubecenſi.] Hoc iure a temporibus Valdemari II. Danorum Regis uſa eſt Revalia, qvod non modo in Eſthonia, ſed etiam in Pruſſia diu viguit, et uſu probatum eſt, ſpeciatim in oppidis Braunsbergenſi et Frauenbergenſi, maxime in Vrbe Elbingenſi, qvae usqve ad tempora Sigismundi I. Pol. Regis Lubecam provocare

care consvevit. Qvoniam vero hoc tale ius confirmatum erat auctoritate, vel auspicio Imperatorum, postero tempore externi Reges, Poloni inprimis, mutata superiore Vrbium conditione, ab anno 1512. antiqvandi eius consilium inierunt. V. Schuzius rer. Pruss. lib. X. f. 444. ex eoqve Hartknochius diss. XVII. de iure Prussorum. De Livonia agit. Menius prodr. p. 5.

Adiutorem.] Vulgo Coadiutorem, qvem omisit Connor, qvamvis primo loco nominandus fuerit, cum Hermannus qvatuor annis ante, qvam decederet, Ioannem Reckium designari curaverit Adiutorem.

AD

IOANNEM RECKIVM.

AD princ.] Tilmanno Bredenbachio et Stangefolio, Ioannes a Reck, Russovio et Henningesio, a Recke, aliis a Reche, item a Ruck, et a Rucke, apud Ceumernium et

Arrhenium: Chytraeo Rekius, Thuano Rekius magnae vir nobilitatis atqve ex Veſtphalia, ſigillatim ex Comitatu Marcano oriundus, ut docet Bredenbachius in hiſtoria belli Livonici, in qvo hiſtoriam finit Thomas Hornerus.

Erat pacis amant.] Vtilitate publica adductus, pacem colebat, et ſumma cum probitatis laude ordinis negotia adminiſtrabat, ac pro aeqvitate animi, cum acerbitas, nocitura eſſet, ſaepe indulgebat, et qvae mutare non poterat, tolerabat, praeſertim cum pacis tempore non deeſſent, qvi ferendis diſcordiis operam darent. Vidi acta legationis Gvilielmi Archiep. Rigenſis, in qvibus ille non de Reckii ingenio, ſed de aliorum molitionibus qveritur, qvibus Livoniae ſtatum perturbare vellent. Aliqvam huius rei partem attigit Seckendorffius in commentario hiſtoriae apologetico lib. III. ſect. 30. §. 117. In tuendo Ordinis iure, praeſertim qva ad vrbem

bem Rigenſem attinebat, conſtans fuit. Huius conſilio electus eſt Torpatenſium Antiſtes Iodocus Reck[illegible] a Bidenbachio laudatus, in hiſtoria belli Livonici p. 24. edit. Colon. et p. 220. ed. Francofurt. Meminit eius qvoqve cum elogio ſcriptor belli Ruſſici Schardianus tom. III. p. 40. Non tamen inficiari poſſum, liberiori illorum temporum ſtatu exoleviſſe populi diſciplinam, et licentiam corrupiſſe bonas leges. Perpauca de eo apud ſcriptores novos reperiamus.

AD

HENRICVM GALENIVM.

AD princ.] Ab omnibus fere ſcribitur H. Galen, ut ex Chytraeo, Ruſſovio et aliis. In Henningeſii opere mendum eſt, qvum legitur, a Gaden, et idem operarum vitium eſt in editione Stangefolii, ubi ſcribitur a Gaten, annal. Circul. Veſtphal. l. II. c. 10. Ego Latina ſcribendi ratione de Germanico expreſſi, diu

ante me Thuanus: recentiores aliqvi Galenium effingunt. Ex hac familia ſeptimus et qvinqvageſimus Praeſul Monaſterienſis fuit Chriſtophorus Bernardus a Galen, togae perinde ac belli ſtudiis notus. Antiqva et ampla ſtirpis propago eſt, a qva originem ducere autumno Eqvites a Gaelen dictos, eosqve in ſocietatem Ordinis Eqveſtris Rhenani aſcriptos.

Cum Ioanne II.] Ioanne Baſilide II. qvi duo Aſiae regna Caſanenſe et Aſtracanenſe, Scythis erepta, cum ditione Ruſſica coniunxit, finesqve imperii ad mare Caſpium usqve et fines Perſicos protulit, et ob tantam potentiae accesſionem, novum ac praepotens imperium condidit, eaqve de cauſa Tzaris titulum ſumpſit, et perpetuo iure ſibi vindicavit. Qvem non multo poſt ei aſcripſerunt Maximilianus, et Sigiſmundus Auguſtus, Solymannus Turca, ac deinde alii Orbis Chriſtiani Reges, cum magnitudinem imperii et potentiae hoc titulo di-

dignam' aestimarent. Koialovizius hist. Lituan pSrt. II. l. 8. Matthaeus Praetorius Orbis Gothici l. II. c. 2. qvi Ioannem III. haud accurate nominavit. Ex illo tempore Tzaris, et successorum animos cogitatio subiit, ut Scythiam Europeam armis subigendam sibi proponerent, novum deinceps Orientis imperium fundaturi. Sed captis Scythiae regnis, Ioannes Basilides maxime ad opprimendos Livones Sarmatasqve spectabat. Auctor est Paulus Oderbornius, hunc magnum Ducem pro termino Imperii Occidentem versus Dunam flumen constituere voluisse, ut qvemadmodum fontes eius in Russia, speciatim in Novogardiensi tractu, sic ostium qvoqve eius Russicae ditionis finibus contineretur. In vita Ioannis Basilidae, qvae A. 1585. Vitembergae, et deinde Francofurti in forma maiore est emissa in lucem. Qvin et Tanaim ac Volgam iungere, Caspiumqve mare in Euxinum Pontum immittere conatus est, apud Heidensteinium de bello Mosc. iib. II. Idem ille immanitatem Ioannis Basilidae, tanqvam Phalaridis describit. Strykovskius Ioannem Basiliadem vocat, et nihilo secius saevitiam illius exponit, utrqve tamen diligentius, qvam verius pleraqve eius argumenti exaggerat, si Rus-

sicos

ſicos et Lithuanicos annales reqviro. Hos ſeqvitur tamen auctor Continuationis hiſt. Lundorpianae t. II.

Caſani.] Sive, ut alii ſcribunt, Cazani, cuius regni caput Vrbs eiusdem nominis in ulteriori Volgae ripa ad Caſanum (vulgo Cazanka dicitur) fluvium, qvi deinde ſe exonerat in Volgam, atqve is ipſe eſt Rha veterum, apud Herberſteinium, et P. Iocium in libro, qvi inſcribitur de Legatione Moſchovitarum, poſt utrosqve, Io. Olearium itin. Perſ. lib. IV. c. 6. In Volgam influit Occa, in Occam Moſchus, ſive Moſcha fl. ut alii vocant, a qvo ductum eſt, Moſchoviae nomen. Herberſteinius, ex eo Thuanus, qvi Moſcam ſcribit. Hiſtor. lib. XXI. Expugnata eſt Vrbs A. 1551. alii 1552. ſignant.

Aſtracani.] Huius primaria et cognominis Vrbs ſita eſt ad Volgam fl. qvi pluribus (ſeptuaginta numerant) oſtiis effunditur in mare Caſpium, et multas ibi facit inſulas, atqve Europam ſecernit ab Aſia, Scythas certe dividit in eis, et trans Volganos. Vrbs capta eſt A. 1554. Herberſteinius, Oderbornius, Olearius, atqve ex his recentiores.

Praeſule Torpatenſi.] Hermanno, Ruſſorum finibus propiori, qvem cum tota dioeceſi vectigalem ſibi eſſe voluit, et iure dudum qvaeſito ſe nixum teſtatus, pecuniam ei, tanqvam tributario Ruſſiae praeſuli, imperavit,

apud

apud Ruſſovium part. II. f. 36. Omnium interfuit, prorogari inducias, etiam Gvilelmi Archiepiſcopi Rigenſis, tunc concordis, et cunctorum Livoniae Ordinum, qvi communi totius Livoniae nomine legationem miſerunt. Til. Bredenbachius in hiſtoria belli Livonici, P. Oderbornius, in vita cit. Tributum hoc a ſingulis capitibus ab Antiſtite in dioeceſi ſua colligendum, et qvotannis dandum Moſchus poſtulabat. Salomon Neugebauer hiſt. Polon. lib. VIII. Sub id tempus qvoqve Sigiſmundus Poloniae Rex legatos Moſcuam Ruſſorum miſit, qvi de induciis cum Ioanne Baſilii tractarent. Koialovizius part. II. l. 8.

Guſtavus I.] Meminit huius rei Ioannis Ioannis Loccenius, et Galenum promiſſo non ſtetiſſe, affirmat. hiſt. Svec. l. VI. Haud aliter Neugebauerus tradit, Livones non duxiſſe in Moſchos, domiqve ſe continuiſſe, ac civile bellum interea cum Gvilelmo, extincta ſuperiori concordia, areendiſſe, lib. VIII. Neuter cauſam excuſationis attulit, qvae a pacto Volmarienſi ſumpta eſt, ut in contextu dixi. Eandem in ſententiam legendi ſunt Arrhenius, et Kelchius.

Sigiſmundus Auguſtus.] Orario, qvam legatus Sigiſmundi Auguſti ad Galenum habuit, legitur in hiſtoria belli Livonici a Bredenbachio conſcripti, p. 226. Rex indi-

gne

gnè tulit, Principem antiqvae ſtirpis, et Livoniae praeſulem praecipuum ac primatem, eumqve Regum et Septemvirum propinqvum, Friderici Marchionis filium, ac novi Prusſiae ducis Alberti, in fidem clientelamqve ſuam recepti fratrem, tum Chriſtophorum, ducem Meklenburgicum, Ioannis Alberti et Vlrici fratrem, ab ſe et Rege Daniae, aliisqve Imperii El. et Principibus commendatum, toto propemodum anno vinctos teneri. Apud eundem, et Chytraeum de motibus Livoniae inteſtinis lib. XVIII. Neugebauerum hiſt. Pol. l. VIII.

AD
GVILIELMVM FVRSTENBERGIVM.

AD princ.] Gvilielmus in familia ſua magnus, ex Furſtenbergia-VVaterlappia propagine, qvae Fridericum auctorem habuit, ortus eſt, cuius maiores, ſtirpisqve conditores memorantur a Ditmaro Mollero in genealogia Furſtenbergia, Ioanne Veldio in originibus Furſtenbergiis, Gerardo Cleinſorgio in hiſtoria eccles. Veſtphaliae, Ioanne Horrione in panegyr. Paderborn. lib. III. Qvibus addendi ſunt Gabriel Bucelinus, Theod. Hopingius, et noviſſime D. Ph. Iac. Spenerus, in luculento Opere hiſtor. inſignium illuſtrium lib. III. cap. 25. p. 21. Atqve haec vetuſtiſſima in Veſtphalis familia

lia confundi non debet cum Svevica, qvae antiqvitate in superiore Germania multis abhinc seculis eluxit. Non praetereunda sunt monumenta Paderbornensia, qvae et Ferdinandi praesulis Furstenbergii exqvisitissimam historiae notitiam, et summam eius generis vetustatem, apud Vestphalos demonstrant.

Acriori, qvum illa tempora ferebant, remedio.] Suspiciones et discordias sopiri, ac vulnera sanari oportuit, qvae postqvam reeruduerunt, et simultates inter primum Livoniae Antistitem, et principem Eqvitum renovatae sunt, arma in sua ipsorum viscera verterunt, atqve intestinis motibus viam vicinis ad se lacessendos, aut opprimendos aperuerunt. A partibus Furstenbergii stabant qvatuor Episcopi, Revalienses, Torpatensis, Habsalensis, et Oesilienses, totusqve Ordo eqvestris, societate auxilii, et amicitia coniunctus. E diverso Regibus finitimis dignitas Archiepiscopi curae erat, maxime Regi Poloniae, et Principibus aliis, necessitudinis et vicinitatis causa ad eum tuendum adductis. Ex his dissidiis Moschi invadendae Livoniae occasionem captarunt, et Poloni Sveonesqve ac Dani, suae qvisqve utilitatis causa, Livoniam ingressi, haudqvaqvam causae suae defuerunt. Oderborniius in vita Ioannis Basil. lib. II. Chytraeus lib. XIX. in-

pri-

primisqve Til. Bredenbachius in hiſtoria belli Livonici, et auctor deſcriptionis belli Livonici III. his temporibus geſti, Matthias Strykovius, Balthaſar Ruſſovius, novisſime Io. Balthaſar Venator et ſumma Vir doctrina D. Adamus Rechenbergius in Memorial. praelect. hiſtor. part. III. c. 7. §. 2.

Hi triſtes et confuſi, qvid actum eſſet, Magiſtro nunciarunt.] Lege, nunciare volentes, ſero Livoniae fines attigerunt, poſthac rumore huius negotii diſſipato, omnia planctu et eiulatu compleri coeperunt. Retenti enim diutius legati, haud ante Februarium diſceſſerant, cum Moſchi, qvi eos iam adulto menſe Ianuario armati praeveniebant, de Livonorum perfidia conqveſti, et qvae continuato ordine ibi ſeqvuntur.

AD
GOTTHARDVM KETTLERVM.

AD princ.] Huius maiores Veſtphalia, Montiumqve Ducatus ſibi vindicat, ex familia pervetuſta, qvae ante delatum Livonici Ordinis principatum, ſummam ac principalem in Veſtphalia dignitatem geſſit, et Gvilelmum ſedi Monaſterienſi LI. Praeſulem dedit, maximasqve Europae neceſſitudines, acqviſito Curlandiae Semgalliaeqve ducatu, ſibi coniunxit. Plura animadverſionum capita arctum hoc ſpatium non capit.

SUBII-

353

SVBIICIVNTVR

DIPLOMATA

AD

LIVONUM,

Et

Facta deinceps Coniunctione, ſimul ad Prusſicum Ordinem pertinentia, qvorum aliqva a Goldaſto et Limnaeo omiſſa;

ALIQVA MINVS EMENDATE EDITA CORRIGVNTVR ET SVPPLENTVR.

FRIDERICI II. Imperatoris Auguſti Conſtitutio

*De libertate * Livonis, finitimisque gentibus ad Catholicæ fidei unitatem converſis.*

FRIDERICVS Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, et Rex Siciliæ, ** Regibus, Ducibus, Principibus, Marchionibus, et univerſis Chriſti fidelibus, Imperio Romano ſubiectis, gratiam ſuam et omne bonum. Ad hoc ſummi diſpenſatione conſilii Principalis obtinuimus Monarchiam dignitatis, et Imperii Romani ſuſcepimus diadema: ut, etſi ad alia extrinſeca debita ſollicitudo nos provocat,

cat, ad ea tamen, qvae libertatis ecclesiasticæ statum, et incrementum Catholicæ fidei promoverent, tanto specialius intendamus, qvanto gratius in hoc Christo impertimur obsequium; a qvo fides nostra cepit exordium, et per qvem imperialis gratiae recognoscimus unctionem. Hinc est igitur, qvod per præsens scriptum notum fieri volumus universis præsentem paginam inspecturis, ad nostram nuper ex veridica fidelium insinuatione noticiam perveniſſe, qvod qvaedam gentes in Septentrionalibus partibus constitutæ, videlicet in *** Livonia, Escovia, **** Prusia, ***** Semigalia, ****** et in aliis provinciis convicinis, inspirante divina gratia coelitus, et eo, qvi ubi vult spirat, expulsa de cordibus eorum superstitionis caligine, cor carneum induentes, ab infidelitatis errore discedere cupiunt, et ad veri Dei cultum, et Catholicæ fidei unitatem accedere sunt parati: ob illius tantum (sicut dici-

tur) id facere differentes timorem, nec poſt ſuſceptionem fidei per Principes Orbis libertates eorum ad ſervitutis onera deducantur. Cumqve penitus cenſeamus indignum, et cunctis Chriſti cultoribus abhorrendum, ut libertas qvae per ſe res favorabilis eſt, privilegium et favorem, qvae per fidem meretur, amittat, ea omnia praevenienda duximus de gratia ſpeciali. Et ecce, qvod univerſos et ſingulos eorum, ad ſuſceptionem Catholicæ fidei venientes, poſt ſuſceptam fidem, cum omnibus bonis eorum, ſub noſtra et Imperii protectione et ſpeciali defenſione ******* ſuſcepimus, et præſentis ſcripti auctoritate plenam eis, et heredibus eorum, intuitu ſuſceptæ fidei, concedimus, et confirmamus perpetuo libertatem: nec non omnes immunitates, qvibus uti conſveverunt, priusqvam converterentur ad fidem. Eximimus inſuper eos etiam a ſervitute et iurisdictione Regum, Ducum, et Principum,

Comi-

Comitum, et ceterorum Magnatum, præſenti ſancientes edicto, ut non niſi ſacroſanctæ matris Eccleſiæ, ac Romano Imperio, qvemadmodum alii liberi homines imperii, teneantur. Nullusqve eos contra præſentis protectionis, defenſionis, conceſſionis et confirmationis noſtrae paginam, impetere, moleſtare, offendere, vel eorum qvietem turbare præſumat. Qvod qvi præſumpſerit indignationem noſtram et Imperii ſe noverit graviter incurſurum. Qvare univerſitatem veſtram hortando et rogando monemus, attentius exhortantes, qvatenus prædictas gentes, accedentes ad fidem, ob illius amorem, cuius intuitu et inſpiratione ducuntur, qvi eas denuo ad ſe vocat, benigne protegere, fovere, ac tueri potenter ab incurſibus malignorum, et ob reverentiam Imperii commendatas habere velitis ut univerſos et ſingulos poſſimus exinde merito commendare. - - - - - - - -

* *Subſcriptio deeſt. Ex ſubiecta materia confirmatur haec inſcriptio, qvamvis Goldaſtus generatim, de gentibus, titulum fecerit, et diplomati praeſcripſerit.*

** *Cis et trans Pharum, id eſt Apuliae et Calabriae, et Siciliae proprie dictae. Vtrumqve regnum iure dotis acqviſivit Friderici II. pater Henricus VI. idqve cum Imperio coniunxit. Abbas Stadenſis A. M. CLXXXIV. Vtriusqve heres, et patris ſucceſſor fuit Fridericus II. In aliis Friderici II. tabulis legitur titulus. Fridericus, Dei gratia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hieruſalem et Siciliae Rex-Iure itidem uxorio propter Iolantam Ioannis Brennae Regis Hieroſolymitani filiam, qvam uxorem duxit, ab eaqve ius et titulum regni illius deſumpſit. Vita Friderici II. et Stero in annal. M. CCXXV.*

*** *Livonia, non Levonia, ut Ptolomaeum ſeqventibus placet. Conſtante enim ſcriptura ſeqviores, et Ptolomaeo recentiores Livoniam ſignant, Arnoldus Lubecenſis, Albertus Abbas Stadenſis, Albertus*

bertus Argentinenſis, Petrus Dusburgius, et reliqui fere omnes. In anonymo quodam rerum Prusſicarum ſcriptore legitur Lyvonia.

**** *Legi debet Eſthonia, ſive Aeſthonia, quae ratio legendi fugit Goldaſtum, in rebus Livonum et Eſthonum minus verſatum. Aliis in monimentis ſcribitur* Eſtien. *Id eſt, Eſtienſis provincia,* in epiſtolis Innocentii III. *Proxime ad origines accedit haec ſcriptio, et auctoritate Taciti, Solini et Iornandis confirmatur. Hi enim* Aeſtios *vocant. Eginhardus Karoli M. aequalis nominat* Aiſtos. *Caſſiodorus ſub Theoderici Gothi, et Regis Italiae tempora, Haeſtos appellat. Alii* Aeſtos *legunt. Saxo Sialandicus* Eſtones *ſcribit. At ſcriptura interdum mendoſa eſt, vitio librariorum, pervetuſta vrbium regionum nomina ignorantium. Multa horum a me animadverſa ſunt, ut* Ralkeburgen. *pro Raceburgenſi, et in huius hiſtoriae argumento Selonienſis, pro Lealenſi. Sic apud Ioannem Vitodura-*

num depravata ſcripturae ratio eſt, qvum Ordo Teutonicae domus coepiſſe dicitur in Avone, ubi legendum Accone, ſive ut iisdem ſeculis ſcriptum eſt, Acone, etiam Achone, ut apud Dusburgium chr. Pruſſ. part. I. c. 2. Haec antiqvorum Ace, poſteris temporibus appellata eſt Ptolomais, de qva legendi ſunt Strabo et Plinius: ille Geograph. l. XVI. iſte hiſt. natural. l. V. c. 19. Sed a Vitoduraño diſſentit Iacobus de Vitriaco, Vrbis qvondam illius Epiſcopus, et rerum ibi geſtarum gnarus, qvi Ordinem Hieroſolymis inſtitutum tradit, et eum plerique illis temporibus propiores, maxime belli ſacri ſcriptores, ſeqvuntur.

***** In Manuſcripto eſt, Prucia. Qvae vera et antiqvis ſcriptoribus conſentanea eſt ſcribendi ratio, qvam uſu ſuo confirmant Ditmarus Merſeburgenſis, Adamus Bremenſis, Helmoldus, Albertus Abbas Stadenſis. Comprobant eam nummi veteres, in qvibus hoc nomine ſignatur. Sic et Rucia pro Ruſſia eſt in veteribus libris, et nominatim in Codice

Hel-

Helmoldi. Pruschia a Dusburgio scribitur, Prussia ab auctore compilationis chronologica apud Ioannem Pistorium, quod vocabulum a recentioribus communiter est receptum.

****** *Vero et vernaculo gentis nomine, Semegallia, sive Semgallia, non Semigallia, ut vulgus putat. Vox enim est Livonibus indigenis usitata, sive Lettica, et finem terminumque regionis designat. Id quod in Semgalliam convenit, quam Livoniae terminum recte nominari, cum Paulo Einhornio, historiae Letticae auctore existimamus. Quem sequitur M. Hermannus Becker, Livonicae historiae apprime gnarus, in propositionibus summariis Livonicas origines complectentibus.*

******* *Livonia in civitatem Germanicam ascripta est, ea lege, ut Christi sacra amplecteretur, et propter hanc cum republica consociationem, sublata peregrinitate, civitatis Germanicae iure uteretur. At pertinaces et dedititii durius habiti sunt, atque in servitutem*

redacti. Quibus subveniendum duxit Fridericus II. tanquam Germaniae Antoninus, ut omnes, qui in Orbe imperii essent, cives Romani Germaniqve efficerentur. Ad promulgandam hanc constitutionem adductus est avaritia Livonicorum Equitum, qui non modo eos, libertate mulctatos, aspere tractarunt, sed etiam Episcopis, Rigensi et Estiensi, persaepe molestias exhibuerunt, ac petentibus qvoqve auxilia denegarunt, qvod ex actis illorum temporum, atqve ex epistolis Innocentii III. liqvet. Haec Livonia ab Aestiis Gothis habitata, fuit paris veteris Gothiae Cisbalthianae, qvae ad Germaniam magnam, nondum in unum Imperii corpus redactam pertinebat. Multis post seculis Germani speciatim Saxones occidui et Vestphali Livoniam occuparunt, eamqve Germaniae, uno Imperio coniunctae, auspiciis, tanqvam peculiarem suae, nationi vindicarunt, et prope soli, exclusis aliis in communi patria nationibus, administrarunt. V. Th. Hornerus, et Otto Ho-

Hovelius in epistola, qvam Horneri historiae libro praemisit. Io. Aventinus Annal. Boior. l. VII. ex eoqve Boxhornius H.V. p. 779.

FRIDERICI II. Privilegium Ordini Teutonico concessum.

In Nomine Sanctæ et individuæ Trinitatis, Amen.

FRIDERICVS SECVNDVS divina favente clementia Romanorum Imperator, semper Augustus, et Rex Siciliae. Inter alia pietatis opera, qvibus imperialis dignitas uberius exornatur, liberalitas obtinet principatum. Illa præcipue, qvæ ad utilitatem et commodum locorum venerabilium exercetur. Nam si a terreno principe particula datur illius interventu, qvi affluenter tribuit universa, qvod dat, ad eum cum foenore multo

multo revertitur, maxime cum per hoc videtur, qvod pro terrenis æterna, provida meditatione mercatur. Ea propter notum facimus universis Imperii fidelibus, tam præsentibus, qvam futuris, qvod nos meditatione piisima attendentes, qvaliter sacra domus Hospitalis Sanctæ Mariæ Theutonicorum in Hierusalem a prædecessoribus nostris pietatis intuitu propagata, in multiplices fructus prodiit fide dignos, et a Divo qvondam Imperatore Henrico * inclytæ recordationis Patre nostro rebus ac libertatibus præmunita, et incrementum suscepit spiritualiter, et temporaliter, Domino famulando, et erga nostram Magnificentiam fratrum dedicatorum ibidem ad divina servitia cum fide devotio semper crevit, nec non celebrem vitam et honestae Religionis cultum, qvibus dilectus nobis in Domino frater Hermannus ** Magister domus Hospitalis eiusdem et fratres sui clarere noscuntur, labores etiam,

etiam et ſudores aſſiduos, qvos pro fide Chriſtianorum et gloria ſuſtinent, inceſſanter æternæ retributionis intuitu, et pro remedio animarum progenitorum noſtrorum, memoriæ recolendæ, et pro noſtræ ſalutis, et gloriæ incremento, ipſorum favori et profectui intendentes, eandem ſacram Domum, et ab ipſa qvaslibet derivatas, Fratres et Confratres ipſarum cum omnibus bonis ſtabilibus et mobilibus, qvæ per totum noſtrum imperium rationabiliter poſſident in præſenti, et qvæ inantea, dante Domino, iuſto titulo poterunt adipiſci: nec non ſubditos eorum eiusdem legationem atqve negotia exercentes, ſub ſpeciali protectione ac defenſione noſtra recipimus, et eidem Domui perpetuo confirmamus omnia privilegia et ſcripta qvælibet, tam a parentibus noſtris, qvam a nobis, ſibi pia liberalitate conceſſa: nec non omnia caſtra, caſalia, *** homines et poſſeſſiones, qvæ donatione Regum, con-

concesſione Principum, et oblatione fidelium, ſive qvolibet alio iuſto titulo eſt adepta, vel in futurum poterit adipiſci; Eximentes ipſas ab omni data, collecta ſeu exactione, ab omni angaria, et ab omni onere cuiuslibet ſervitutis. Concedimus etiam eidem Sacræ Domui munificentia liberali, libertatem aqvarum, herbarum, et lignorum, ubiqve per proprias Imperii noſtri terras, ad ſuarum domorum uſum et utilitatem, et ut de ipſis per totum Imperium nihil ratione portatici, **** plateatici, falangatici, ripatici, theolonei, vel alicuius alterius exactionis, et iuris, conſvetudinis ſeu ſtatuti, in terra vel mari ſive fluminibus, ſolvere teneantur, ſive etiam aliis aqvis: Firmiter ſtatuentes, ne qvis fratres prædictos de tenimentis et poſſeſſionibus eiusdem Hoſpitalis ſine iudicio et iuſticia præſumat aliqvatenus diſſaſire: ***** De abundantiori qvoqve gratia noſtra eidem Domui et Fratribus ſuis concedimus et perpetuo con-

confirmamus, ut qvicunqve aliqvid de bonis imperii nomine feudi tenet, et posſidet, licenter et libere, tanqvam proprium conferre valeat eidem Domui Hoſpitali. Statuimns igitur, et auctoritate præſentis Privilegii præcipimus firmiter univerſis, ne aliqvis memoratam Domum, et Fratres ipſi9 ſuper prædictis omnibus aliqvatenus moleſtare præſumat. Qvod ſi præſumpſerit, in ſuæ temeritatis vindictam centum libras auri puri componat; ****** medietatem Camerae noſtræ, et alteram medietatem pasſis iniuriam perſolvendam. Ad cuius rei certam evidentiam et perpetuam firmitatem præſens Privilegium fieri, et Bulla aurea typario noſtræ Maieſtatis impreſſa iusſimus communiri. Huius rei teſtes ſunt Vlricus Patavienſis Epiſcopus, Albertus Tridentinus Electus, Ludovicus Dux Bavariæ, Comes Palatinus Rheni, Hermannus Marchio de Baden, Diepoldus Marchio de Hochenberg, Reinaldus

dus Dux Spoleti, Fridericus Comes de Brenen, ******* Comes Eberhardus de Helffenſtein, Bertholdus Comes de Sancto Monte, ******** Comes Erneſtus de Vvelſek, Comes Conradus de Werdeck, Anſelmus de Inſtigen ********* Imperialis aulae Marſcalcus, Bertholdus de Alevelt, Conradus de Wolre, Bertholdus de Wangen, Sibertus de Vlmine, Hertvicus Magiſter coqvinae, Cunſtingus Marſcalcus, et alii qvam plures. Acta ſunt hæc Anno Dominicae Incarnationis milleſimo, ducenteſimo, vigeſimo primo, menſe Aprilis, indictione nona, imperante Domino noſtro Friderico ſecundo, Dei gratia invictisſimo Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, et Rege Siciliæ. anno Romani Imperii eius primo, Regni vero Siciliæ vigeſimo tertio fæliciter Amen. Datum Tarenti Anno, menſe, et indictione præſcriptis.

* Recte

* *Recte se habet inscriptio, quae ex ipso Tabularum contextu desumpta est, et a consequentibus Augustis Imperatoribus privilegium Friderici II. nominatur, sigillatim in confirmatione Caroli IV. A. 1347. et 1355. Norimbergae. Ad posterius A. 1383. respexit Venceslaus, idque denuo confirmavit, quia per id tempus Caroli IV. imperium erat legitime constitutum. Eodem ceteroquin anno Carolus in alio diplomate, in eadem urbe concesso, Ordinis illius privilegia, literas, libertates, gratias et indulta confirmavit. Eodem scribendi tenore et modo deinceps Germanicae tabulae sunt confectae. A. 1402. a Ruperto, et huius in Imperio successoribus. * Henrico, eius nominis sexto in serie Germaniae Regum, qua numeri nota in plerisque tabulis signatur. At postquam Romae inauguratus, et imperatorio insigni redimitus est, sine hac adiectione scribitur, Romanorum Imperator semper Augustus, ab anno videlicet M CXCI. XVIII. Kal. Mai. Stero feriam secun-*

dam Paſchatis tradit, ſed eo in loco varia eſt lectio, et mendum ſe prodit. Titulum Regis Siciliae ex diverſa cauſa habuit, et novo primum exemplo ſumpſit ac diſtinxit. Sub id vero tempus pater Friderici Henricus, Romae a Coeleſtino III. conſecratus, et aliquanto poſt Ordo Teutonicorum Equitum ab Imperatore privilegiis amplioribus auctus et ornatus eſt, quod Tabulae nos docent, quae falli non ſinunt. Avus tamen Friderici Aenobarbus fundamentum iecit, quorſum ſpectant concepta diplomatis verba: a prædeceſſoribus noſtris, et parentibus noſtris, *ſpeciatim vero et maioribus incrementis,* a patre noſtro, rebus ac libertatibus praemunita, *ſcilicet ſodalitas, quae ſacrae domus mentione hic deſcribitur, propter extructam Hieroſolymis aedem, D. Mariae ſacram, ſub cuius patrocinio fuit ſtetitque Ordo, quem approbavit Coeleſtinus* III. *et certam ei regulam praeſcripſit, atque Henricum Valpotum primum Ordinis praefectum, in illius poſſeſſione dignitatis confirmavit.*

De

De anno reliqvus eſt ſcrupulus. Alii 1191. alii 1198. diploma confirmationis promulgatum autumant, ſecus atqve rationes ſubducunt Siffridus Presbyter, et Compilationis Chronologicae auctor. E diverſo liber Ordinis Pruſſiae, et novus ſcriptor Io. Balth. Venator annum habent 1191. Andreas Mendo A. 1192. tradit. Caeſar Baronius eius inſtituti meminit ſub annum 1198. Longius abit Caſp. Hennebergerus, a Clemente III. confirmatum ſcribens, a qvo reliqvi ſcriptores diſcesſionem faciunt. Caſpar Schutzius, Franciſcus Mennenius, et complures. De occaſione Ordinis conſtituendi legendus eſt Iacobus a Vitriaco, hiſtor. Oriental. c. 64. Marinus Sanutus l. III. part. 7. c. 3. P. Dusburgius part. I. c. 1. Auctor Chronic. Ordinis, ex recentioribus Ioannes Nauclerus Chronogr. Vol. II. Albertus Cranzius Vandal. l. VI. c. 28.

** *Hermannus de Salza fuit qvartus Ordinis Magiſter, et hoc titulo ſe ſubſcripſit in veteribus tabulis, ante Duces et Marchiones, anno ſexto Imperii Friderici*

rici II. Magiſter Hoſpitalis S. Mariae Teutonicorum in Ieruſalem. *Et in aliis plerunqve inſtrumentis ita ſcribitur, ac Magiſtri nomen praeponitur. Secus atqve in poſteriori diplomate Friderici* II. *et in privilegio Culmenſi A. 1233. ſcriptus eſt his verbis: Frater Hermannus domus Hoſpitalis S. Mariæ Teutonicorum Hieroſol. Magiſter. Qvo reſpexit Chriſtophorus Hartknoch, in diſſertat. de Republ. veter. Pruſſ. XIX. §. 7. Sed illud* Hieroſol. *pro Ieruſalem, eſt recentius, et hoc argumento excutienda eſt qvoqve ſcriptura privilegii Culmenſis, ſalva tamen rei veritate, qvae in dubium non vocatur. Omnino ante, et poſt A. 1233. diverſum erat huius ſcripturae genus. Sic apud Meibomium in Erectione Ducatus Bruns. legitur. Hermannus a Salza Domus Hoſpitalis S. Mariae in Ieruſalem Magiſter. Sed Teutonicorum vox a Meibomio omiſſa eſt, contra illius ſeculi uſum, et ſcribendi formam. At vocabulum Domus aliqvando ſcribitur, et vocabulo Hoſpitalis*

ſpitalis coniungitur, interdum vero omittitur, ut in diplomate, qvod memoravi, A Friderici II. Imperii ſexto, id eſt, A. C. 1225. Haud aliter in antiqvis Magiſtrorum Ord. Teutonicorum ſigillis, inciſum videre licet. Deinceps autem nominari coeperunt Magiſtri generales. *Poſt Hermannum de Salza invaluiſſe ſcribit Hartknochius. Recte qvidem, et id inſcriptio Libuſſenſis firmat, in qva ſeorſim, et ſine adiectione Ordinis militiae Teutonicorum Magiſter vocatur. Primus ab exceſſu eius Conradus principali dignitate Comes Thuringiae, ita ſe ſcripſit, hoc eſt, ab anno M CC XL. qvo e vita excesſit Hermannus. Fallit enim Simon Grunovius, qvi tempus Hermanni mortis in annum 1221. reiecit, contra auctoritatem diplomatum, qvae publicam fidem habent. Nec vero Henricus Hohenloicus, qvi inter Hermannum et Conradum, a vulgatis Chronicorum ſcriptoribus, interiicitur, comparet in hiſtoria Petri Dusburgenſis. Illi plane rationes, hiſtoriae*

conturbant, qui ſub Conrado coniunctionem Teutonici Cruciferorum, et Livonici Enſiferorum Ordinis factam putant, quae primo et ſoli Hermanno Salzenſi accepta eſt ferenda, ut ſupra, in notis admonui, et confirmavi. Magiſter Teutonicorum Ordinis interdum habuit Promagiſtrum, ſive ut in diplomatibus legitur, Vicemagiſtrum, ſed ideo non recepta eſt formula ſcribendi in numero plurium, quod librariorum vitio in diplomatum editione factum eſſe, animadverti. Vnde talia huius argumenti diplomata aut falſitatis ſuſpecta ſunt, aut profecto mendoſa exiſtimari debent. Tum vero ſummi praefecti huius Ordinis, titulo Magiſtri ſemper uſi ſunt, nec ſolum ab Imperatoribus, ſed etiam a Pontificibus, atque ab aliis ſacri civilisque Ordinis principibus, eo modo appellati leguntur. Quo argumento Henricus Hohenloicus removendus eſt a ſerie Magiſtrorum, qui Fratris tantum nomine in tabulis, quas ſubſcripſit, nominatur. Nec movet ſi-

git-

gillum Magistri appensum, quod ab Ordinis provisore et vices gerente, iussu et approbatione eius, ad quem pertinet, in negotiis a superiore mandatis, adhiberi potest. In Codice Vindobonensi manu exarato, in lingua Saxonica veteri Hermanni titulus ita legitur: Bruder HERMAN, des Huses der Dutschen des Spitals sende Marien Meister von Ierusalem. P. Lambecius bibl. Vindob. l. II. c. 8. p. 833. *Seculo post C. N. quarto decimo Imperatores etiam Magistrum Ord. Teutonici, titulo et honore Magistri generalis affecerunt, nominatim Ludovicus Bous. an. 1338. apud Goldastum Const. Imp. Tom. II. p. 84. et Carolus IV. 1355. in Ord. huius documentis. p. 17.*

*** *Casalia, domus villae, fundi suburbani et vici, consuetudine loquendi Sicula, quam Fridericus* II. *Siciliae Rex hoc loco sequitur, ut ex scriptore Siculae historiae Hugone Fulcando constat. Vulgo Itali Villaggio exponunt.*

**** *Portaticum genus vectigalis, quod pro transitu pontium, plateaticum, pro*

transitu platearum, seu viarum publicarum, falangaticum, pro iure defigendi sublicas in flumine, ripaticum vectigal navale, quod nomine mercium mari, aut flumine advectarum pendebatur: theoloneum, sive theloneum, teloneum, et telonium generatim omne vectigal publicum notabat. Idcirco telonarii erant, qui publicani in Latinitate emendata. Nihil vero hic de motatico et rotatico inseruit Augustus.

***** *Alii l. dissaisire, quod est vim facere, et possessione deiicere, sive id fiat armis, sive sine armis. In iure Quivitium deiecto competit interdictum Unde vi, quo experitur contra eum, qui per vim possessione deiecit.*

****** *Componere verbum est iurediciale, Francis veteribus usitatum, et deinde ab Imperatoribus Saxonicis, Saliquis et Hohenstauffis crebro usurpatum, idem hic valet, ac persolvere pecuniam multatitiam fisco inferendam, vel parti laesae applicandam.*

******* *Diversa est familia Comitum*

Bre-

Brenenſium, qvi tertio decimo ſeculo in Gallia floruerunt, et titulum de Brena, *tabulis ab ſe factis praeſcripſerunt, anno 1200. In qvo mentio facta eſt fratris Galteri Comitis Brenæ, et 1205. et A. 1216. commemoratur Erardus de Brena. Apud ſcriptorem Gallicum Chantereau Le Febure in documentis, qvæ ad Clientelas Gallicas pertinent, evulgatis. p. 16. et 28. p. 70. et ſeq. At Fridericus Comes de Brenen, qvi in diplomate Friderici II. ſubſcripſit in Saxonia noſtrate conſedit, et Comitatum clientelarem habuit, cuius familia poſt extincta, Duces Saxoniæ, nominatim Aſcanii, Comitatum cum ditione ſua coniunxerunt, ab eoqve ſe Comites in Bren, ut Rudolphus 1353. et 1368. item Comites Brenenſes, ut Venceslaus, Germanice Graff zu Brene, ſe ſubſcripſerunt: interdum, et maxime in diplomatibus Germanicis omiſerunt, qvod imitati ſunt eorum in Ducatu et Electoratu Saxoniae ſucceſſores Saxo-VVettinenſes.*

******** *Alii de Heiligenberg, id est Comes de Sancto Monte, ut Germani loquuntur, ab arce et Comitatu, in Svevia sito, in ditione Furstenbergicae gentis. Sic Hohenloici quondam dicti sunt Comites de Alta Flamma.*

********* *Legi oportet, de Iustingen, non de Instigen. In alio Friderici diplomate, quod Episcopi Patavienſis, sive Passavienſis, privilegium continet sine vitio scribitur, Anshelmus de Iustingen, Marscalcus Imperii, sive ut hic eodem sensu scribitur, Imperialis aulae Marscalcus. Non enim is erat hereditaria officiali dignitate Mareschallus, ut alibi confirmabo.*

FRIDERICI II. Imperatoris Augusti diploma, qvo concesſio, ſive donatio terræ Culmenſis a Conrado Duce Mazoviæ et Cuiaviæ facta confirmatur.

In Nomine Sanctæ et individuæ Trinitatis, Amen.

FRIDERICUS II. divina clementia Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Ieruſalem, et Siciliæ Rex. Ad hoc Deus Imperium noſtrum præ Regibus Orbis terræ ſublime conſtituit, et per diverſa mundi climata noſtræ ditionis terminos amplificavit, ut ad magnificandum in ſeculis nomen eius, et fidem in gentibus propagandam, prout ad prædicationem Evangelii ſacrum Romanum Imperium præparavit, ſollicitudinis noſtræ cura verſetur, ut non minus ad depreſſionem, qvam ad con-

converſionem gentium intendamus, illius proviſionis gratiam indulgente, per qvam viri Catholici pro ſubiugandis Barbaris nationibus et divino cultui reformandis, inſtantiam diuturni laboris aſſumant, et tam res qvam perſonas indeficienter exponant. Hinc eſt igitur, qvod præſentis ſcripti ſerie notum fieri volumus modernis Imperii, et poſteris univerſis, qvaliter frater Hermannus * ſacræ domus Hoſpitalis ſanctæ Mariæ Theutonicorum in Hieruſalem venerabilis Magiſter fidelis noſter, devotam ſui animi voluntatem attentius referendo ** propoſuit coram nobis, qvod devotus noſter Conradus Dux Maſoviæ *** et Cuiaviæ promiſit, et obtulit ei providere et fratribus ſuis de terra, qvæ vocatur Culmen, et in alia terra, inter Marchiam ſuam **** videlicet et confinia Prutenorum, ita qvidem ut laborem aſſumerent, et inſiſterent opportune ad ingrediendum et obtinendum terram Prusſiæ, ad honorem et glo-

gloriam veriDei, qvam promiſſionem recepiſſe diſtulerat, et Celſitudinem noſtram ſuppliciter implorabat, qvod ſi dignaremur annuere votis ſuis, ut auctoritate noſtra fretus inciperet aggredi et proſeqvi tantum opus, et ut noſtra ſibi et Domui ſuæ concederet et confirmaret ſerenitas, tam terram, qvam prædictus Dux donare debebat, qvam totam terram, qvæ in partibus Prusſiæ per eorum inſtantiam fuerat acqviſita, et inſuper domum ſuam immunitatibus libertatibus, et aliis concesſionibus, qvas de dono terræ Ducis præfati et de Prusſiæ conqviſitione petebat, ***** noſtræ munificentiæ privilegio muniremus, ipſe oblatum donum dicti Ducis reciperet, et ad ingreſſum et conqviſitionem terræ continuis et indefeſſis laboribus bona Domus exponeret, et perſonas. Nos igitur attendentes promptam et expoſitam devotionem eiusdem Magiſtri, qva pro terra ipſa ſuæ domui acqvirenda ferventer in Domino æſtuabat,

bat, et qvod terra ipſa ſub Monarchia Imperii eſt contenta: confidentes qvoqve de prudentia Magiſtri eiusdem, qvod homo ſit potens opere et ſermone, et per ſuam et ſuorum fratrum inſtantiam potenter incipiet, et conqviſitionem terræ viriliter proſeqverur, nec deſiſtet inutiliter ab inceptis, qvemadmodum plures multis laboribus in eodem negotio fruſtra tentatis, cum viderentur proficere, defecerunt: auctoritatem eidem Magiſtro conceſimus, terram Prusſiæ cum viribus Domus et totis conatibus invadendi, concedentes et confirmantes eidem Magiſtro, ſucceſſoribus eius, et domui ſuæ inperpetuum, tam prædictam terram, qvam a præſcripto Duce recipiet, ut promiſit, et qvamcunqve aliam dabit, nec non totam terram, qvam in partibus Prusſiæ conqviret, Domino favente, velut vetus et debitum ius imperii, in montibus, planicie, fluminibus, ne moribus, et in mari, ut eam liberam ab omni

mni ſervitio et exactione teneant et immunem, et nulli reſpondere, proinde teneantur. Liceat inſuper eis de concesſione noſtra per totam terram conqviſitionis eorum, ſicut acqviſita per eos et acqvirenda fuerit, ad commoda Domus, paſſagia, ****** et theolonea ordinare, nundinas et fora ſtatuere, moneram cudere, talliam ******* et alia iura taxare, directuram per terram in fluminibus, et in mari, ſicut utile viderint, ſtabilire; fodinas, mineras auri, argenti, ferri ac aliorum metallorum, ac ſalis, qvæ fuerint, et invenientur in ipſis terris, poſſidere perenniter et habere. Concedimus inſuper eis iudices et Rectores creare, qvi ſubiectum ſibi populum, tam eos videlicet, qvi converſi ſunt, qvam omnes alios in ſua ſuperſtitione degentes, iuſte regant, et dirigant, et exceſſus maleficiorum animadvertant et puniant, ſecundum qvod ordo exegerit æqvitatis. Præterea civiles et criminales cauſas audiant, et dirimant

ſe-

ſecundum calculum rationis. Adiicimus inſuper ex gratia noſtra, qvod idem Magiſter, et ſucceſſores ſui, iurisdictionem et poteſtatem illam habeant et exerceant in terris ſuis, qvam aliqvis Princeps imperii melius habere dinoſcitur in terra ſua, qvam habet, ut bonos uſus et conſvetudines ponant, asſiſias ******** faciant, et ſtatuta, qvibus et fides credentium roboretur, et omnes eorum ſubditi pace tranqvilla gaudeant et utantur. Ceterum authoritate præſentis privilegii prohibemus, ut nullus Princeps, Dux Marchio, Comes Miniſterialis, Scultetus, Advocatus, nulla ve perſona ſublimis vel humilis, Eccleſiaſtica vel mundana, contra præſentis conceſſionis et confirmationis noſtræ paginam audeat aliqvid attentare. Qvod qvi præſumpſerit, pœnam mille librarum auri ſe noverit incurſurum, qvarum medietas Cameræ noſtræ, reliqva pasſis iniuriam perſolvetur. Ad huius itaqve conceſſionis et confirmatio-

mationis noſtræ memoriam, et ſtabilem firmitatem, præſens privilegium fieri, et Bulla aurea typario noſtræ Maieſtatis impreſſa fecimus communiri. Huius rei teſtes ſunt Magdeburgenſis, Ravennenſis, Turenſis, Panormitanus et Reginus, Archiepiſcopi. Bononienſis, Ariminenſis, Ceſanus, Mantuanus et Tortoſanus, Epiſcopi. Saxoniæ et Spoleti Duces. Marchio de Monte Ferrato, Salingirra de Ferraria, Henricus de Schvvartzburg, Guntherus de Keverenburg, Wernherus de Kyburg, Albertus de Habsburg, Ludovicus et Hermannus de Froburg, et Thomaſius de Acerris, Albertus de Arnſtein, Gotfridus de Hohenloe, Comites, Rucardus Marſcalcus, et Ricardus Camerarius Imperialis aulæ, et alii qvam plures. Acta ſunt hæc Anno Domini incarnationis, milleſimo ducenteſimo, viceſimo ſexto, menſe Martii, decima qvarta Indictione, imperante Domino Friderico Dei gratia ſereniſſimo Romano-

rum Imperatore ſemper Auguſto. Hieruſalem et Siciliæ Rege, Romani Imperii eius anno ſexto, Regni Hieroſolymitani primo, Regni vero Siciliæ vigeſimo ſexto, feliciter, Amen. Datum Ariminæ, anno, menſe et Indictione præſcriptis.

* *Diploma ſub aurea bulla conceſſum eſſe, docet ſubſcriptio. V. Martinus Cromerus lib. VII. ſub finem. Hermannus de Saltza, non Atza, ut eum cognominat Andreas Mendo, et pari eundem errore Moſchoviae Ducem vocat, in libro de ordinibus militaribus, disq. I. qv. 2. §. 9. Sub qvo eqveſtris Livoniae Ordo cum Teutonico in Pruſſia ſe coniunxit, ut auctor eſt omni exceptione maior Dusburgius, part. III. c. 28. Approbavit hoc inſtitutum Gregorius IX. Pontifex, in Cruciferos admodum propenſus. Conſentit Balthaſar Ruſſovius, qvem ſecutus eſt Io. Caſpar Venator, novisſime Chriſtianus Kelchius, hiſtor. Livon. part. III. Salomon Neugebauer recte id de Gregorio IX.*

IX. affirmat, sed rationes temporum, quas subducit, non respondent. L. III. *hist. Polon. Multo minus quadrat annus 1198. ut putat Matth. Praetorius in Orbe Gothico, lib. II. c. 4. At permiscet, quae distingui oportuit, nempe confirmationem Ordinis Teutonici, et eius cum Livonico coniunctionem: tum vero tempus confirmationis non accurate definit.*

** *Ab his verbis initium facit Hartknochius: in illis desinit,* et multi respondere proinde teneantur: *quae maxime cum eius instituto congruebant. In notis ad Dusburg. p. 35. et 36.*

*** *Mazoviae et Kuiaviae lectio cum M.S. congruit. Masoviae vocabulum postea receptum, et usu tritum est, neque aliter scripsit P. Dusburgius. Sic et Cuiavia deinceps scribi coepta. Cinaviae vocabulum, quod e regione Goldastus edidit, ex ingenio est, et plane hoc loco alienum. Conradus Masoviae Dux, nunquam titulum Ducis Poloniae usurpavit, propterea quod tutoris nomine, Poloniam minorem administravit, ob eam-*

que causam a Dusburgio Dux Poloniae nominatur Chron. part. II. c. 5.

Genealogia est talis, quam subiicio propter nonnulla, quae in Davide Chytraeo desiderantur.


Boleslaus Crivoustus,
sive distortus. Vx. Sbislava.

Vladislaus II. *Vxor Christina.*	*Boleslaus Crispus. 1. Vxor. Anastasia. 2. Gertrudis.*	*Miecislaus Senex, propter moris gravitatem sene dignam sic dictus. Vxor Eudoxia.*

Henricus coelebs.	*Casimirus. Vxor Helena.*

Lescus Albus. Vxor Grimislava.	*Conradus. Masoviae et*

Cu-



Conradus iste Casimiri filius, Prussis in Cuiaviam effusis resistere non potuit, ob eamque causam Equites, militiam sacram in Livonia professos, auxilii causa evocavit, eisque castrum Dobrinense a se extructum, constituta ibi fratrum sodalitate, assignavit, ea lege, ut omnia, quae Prussis erepturi essent, aequis inter se portionibus deinceps partirentur. At neque illi Prussis bello perdomandis pares erant, et hi maiori ferocia terram pervagati, Dobrinum usque excursiones faciebant, et longe lateque circumiectum agrum vastabant. Itaque milites cruce signatos ad belli huius societa-

tem accivit, addita conditione, ut omnia, qvae armis occupaturi essent, suae ditionis facerent, et retinerent. Ad haec tractum Culmensem (Dusburgius Colmensem scribit) sodalibus Teutonicis, qvorum erat Magister Salza, attribuit, confecto donationis instrumento, qvod Fridericus II. Aug. confirmavit. Hoc publica auctoritate se tuetur, et in historia Dusburgium suffragatorem habet, qvem recentioribus omnino praeferri oportet. part. II. c. 4. et 5. Id qvod observandum duco, propter Ioannem Dugloſſum, Martinum Cromerum, et Salomonem Neugebauerum, qvos sequitur Ioachimus Pastorius in Flora Polonico. L. II. c. 12.

**** Qvidam legunt Marchiam novam, et de hac tabulas Augusti exponunt, sed contra fidem manuscripti, in qvo legere est, Marchiam suam, id est Marchiam Conradi Ducis, sive de Mazovia, sive de Cuiavia intelligatur. Vtraqve enim fines Prussiae aperit, et tractus, limitem constituentis, nomine censetur. Exemplaria

plaria ex Manuſcripto expreſſa conſentiunt, et antiqvam ac veram, qvam aſſerui, lectionem confirmant.

***** Loqvitur de occupatione bellica. Vocabulum hoc, ut multa alia, a Dufresnio omiſſum eſt, cuius gloſſarium ex Germanorum annalibus, atqve ex Auguſtorum tabulis ut ſuppleatur, mediae antiqvitatis refert. Paulo poſt conqviſitionem terrae, et terram conqviſitionis dicit, qvae armis ſubigitur, et occupatur. Eodem ſignificatu verbum conqvirendi hoc in diplomate uſurpavit.

****** Vectigalia, qvae tranſitus cauſa ſolvuntur. Alibi paſſagia vocantur expeditiones ſacrae, qvo ſenſu legitur apud ſcriptores belli ſacri, et apud Dusburgium part. II. c. 5.

******* Talliam, exactionem, tributum, collectam. Petrus Bleſenſis coniunxit tallias et exactiones, in epiſtola CII. ad Radingenſis monaſterii Abbatem perſcripta.

******** Alii l. aſſiſas, qvo vocabulo praecipue ſignificatur conventus, ad publica

blica regionis negotia institutus, in qvo aut ius dicitur, ut lites dirimantur, aut mensura et pondus rerum venalium constituitur, ut pretia definiantur, aut tributa, qvibus rempublicam fulciri necesse est, imperantur et indicuntur. Hoc certe loco ius denotat statuendi de omnibus his rebus, sive placita, et statuta *faciendi, qvae tranqvillitatis et utilitatis publicae interfunt, eo modo, et iisdem privilegiis, qvibus alii Germaniae Principes gaudent ac fruuntur. Hanc potestatem Magistro Ordinis dedit concessitqve Augustus, et* assisias ac statuta, *velut eiusdem argumenti coniunxit. Qvare non difficile intellectu est, qvamobrem id nominis interdum pro decreto publico sumatur, aliqvando etiam ad tributum significandum transferatur. In iure antiqvo, et legibus Romanis nihil de* assisis et assisiis *usqvam extat, sed in constitutionibus Siculis et Neapolitanis, maxime Friderici II. Siculi et Neapolitani Regis, crebro animadverti. Nec Britannis hoc nomen*

men ignotum fuit, ut mihi documento est Fleta, pervetus Anglicani iuris interpres, et Friderici II. temporum aequalis, lib. I. cap. 17. A Normannis opinor hoc nomen in Siciliam et Britanniam migrasse, quod longius persequi, non est huius instituti.

Exemplum Concessionis, qva tractus Culmensis Ordini Teutonico est attributus.

In Nomine Domini Amen.

NOs Conradus Dux Mazoviæ et Cuiaviæ. Notum facimus tam præsentibus, qvam futuris, qvod Hospitali S. Mariæ Domus Teutonicorum fratrum Ierusalem, pro salute animæ nostræ et Parentum nostrorum, TERRAM CVLMEN. cum omnibus attinentiis suis, tàm in aqvis, qvam in agris et nemoribus, nihil utilitatis, nobis reservantes, vel

in futuro ſperantes, et Villam Orlavv nuncupatam, in Cuiavia iacentem contulimus in perpetuam proprietatem, integraliter poſſidendam, omnium hæredum noſtrorum accedente conſenſu Sed ne vetuſtas mater oblivionis, hanc noſtram collationem irritam faciat, duximus illam Fratrum noſtrorum, omnium Ducum Poloniæ, nec non Epiſcoporum et teſtium, qvi prædictæ donationi interfuerunt, ſubſcriptione roborare. Qvorum hæc nomina ſunt: Dominus Michael Epiſcopus Cuiavienſis: Dominus Guntherus Electus Plocenſis. Comes Arnoldus, Palatinus Cuiavienſis: Comes Zechæy Iudex Curiæ. Stephanus Frater eius. Comes Thomas, Caſtellanus Breſſezk, Comes Golub, Comes Andreas, Comes Mauritius Venator, Albertus Frater eius. Comes Patrik Agazo, Comes Thomas, Comes Kryvvozudus, Grimislaus, frater eius Ioannes Subcamerarius, Albertus Subagazo Ziros, Subpin-

pincerna, Nicolaus Cesmz, Ztralek, Boguslaus Bognadus, Bogistaus Dominus Gregorius Subcancellarius, Iacobus Presbyter, Nicolaus, Nicul, Anshelmus. Datum in Beze. Anno Incarnationis Dominicæ M.CC.XXIIX. Nono Calendar. Maii.

* *Conradus propter Masoviae Ducatum erat Imperio obnoxius, inde à tempore Conradi Saliqvi Angusti, qvi Masoviam regno Germaniae coniunxit. Qva de causa Fridericus* II. *eum vocat* devotum, *id est, iure Imperii devinctum, qvi eo nomine donationis suae confirmationem ab Augusto petebat, atqve adeo summam illius potestatem agnoscebat. Verba diplomatis repetere supervacuum duco.*

** *Infra appendiciis, consvetudine seculi minus culti. In aliis plerisqve tabulis eodem hoc seculo haud tersius scribitur: pertinentiis. Illud singulare est, qvod legere memini in huius seculi diplomatis, in* pertinentiis finagiis *A.* 1242. *Vbi pertinen-*

tinentiae finagiae sunt appendices limitum, quibus agri distinguebantur. Alioqui finagium, significatu nominis per se stantis, usitatius rudi isto aevo dicebatur.

*** Donatio haec legitime facta est, consensu filiorum, fratrum, et omnium Conradi heredum, Antistitum quoque illius loci et magnatum, praeterea omnium Poloniae Ducum. Accessit confirmatio Friderici II. Imperatoris, et Romani Pontificis Alexandri IV. Vt causa non sit, cur assentiamur iis, qui factam donationem audacter negant, quam publica tabularum auctoritas defendit.

**** Nota numeri, cum ob multas, tum idoneas rationes dudum mihi suspecta est, vel hoc argumento, quod Fridericus II. hanc donationem confirmavit. Vno igitur minimum anno utrumque concessionis Conradi, et confirmationis Friderici II. diploma confectum est, anno, ut rationes meae sunt, 1226. Ita ut sentiam, me imprimis movet auctoritas Dusburgii, diligentis, et antiqui rerum Prussicarum

carum scriptoris. Quamquam in diversa, partes abeunt Dugloſſus et Cromerus, alter annum 1230. alter 1228. supputavit. Ceterum iſta donatio, quae in annum 1226. incidit, aliquoties repetita, et expreſſa totius terrae Culmenſis ceſſione. A. 1230. confirmata eſt, attributis etiam a Chriſtiano I. Epiſcopo decimis, in iis ſigillatim bonis, quae Conradus Dux, ſalvo Epiſcopi iure, Ordini antea in tractu Culmenſi aſſignavit. Haec vero exceptа ſunt in donatione, anno 1222. Chriſtiano Pruſſiae Antiſtiti facta, cuius exemplum eſt in prodromo Codicis diplomatici Leibniziani p. 6. Addo tabulas, a Caſimiro Conradi filio, conſequente anno 1223. ut ſubſcriptio oſtendit, confectas, quas edidit Matthaeus Praetorius, ſed fucum non vidit, quoniam numeri ſunt mendoſi. Subſcriptionem Hermannus Balko, qui multis poſt annis in Pruſſiam venit, et anno primum milleſimo ducenteſimo Viceſimo octavo, deſignatus in Livonia Volquini ſucceſſor, antea fuit in Pruſſia Magiſter provin-

cia-

cialis. Subiiciam nihilominus Caſimiri tabulas, explicatas nonnihil atqve emendatas.

Formula interpoſiti a Caſimiro, Conradi filio, conſenſus, qvo Patris donationem approbavit.

NOs Caſimirus * Dei gratia Dux Cuiaviæ ſalutem in ſalutis auctore. Qvam perſpicuis cauſis donationes Illuſtris Principis Conradi Ducis Mazoviæ, Patris noſtri, et qvibus utilitatibus adiuvent, nullus ambigit, qvi cauſam vocationis Magiſtri, et Fratrum Hoſpitalis S. Mariæ Ieruſalem Domus Teutonicæ diligenter conſiderat, et ab ipſis Mazoviæ et Cuiaviæ et cæteris terris adiacentibus Prusſiæ impenſum adiutorium perſpicaciter intuetur. Cum enim iam Culmenſis terra finale exitium eſſet paſſa ab incurſibus, Prutenorum, ** et iam Maſovia et ſuper memo-

memoratæ terræ ab eorundem Prutenorum tyrannide inciperent demoliri. Ipſis iam pro parte maxima demolitis, ſeu devaſtatis, cum ſuccurrentem alium habere neqvirent, Dominus Dux, Pater noſter, ſanisſimo uſus conſilio, ſuper memoratos Magiſtrum et fratres de domo Teutonica ad dictarum terrarum ſubſidium et ad oppreſſorum ſublevamen, ad conſtringendum Prutenorum impetum advocavit, donans ipſis fratribus terram Culmenſem, cum omni iurisdictione et iure et utilitatibus et aliis honeſtis conditionibus et pactionibus, ſecundum qvod in literis ſuper ea donatione confectis plenius noſcitur, continetur. Et villam qvæ dicitur Rogore, qvæ adiacet Vladislavie iuniori, cum omnibus pertinentiis usqve ad foſſata dictæ civitatis, ſive munitionis; libere et integraliter cum omni iurisdictione et iure et proventibus in perpetuum poſſidendam. Qvarum donationum tam rationabiliter facta-

factarum, ut videlicet ſuper memoratus Dux Pater noſter evaderet maius malum, et qvorumlibet aliarum donationum, et contractuum ſive pactorum cum Magiſtro et ſuper memoratis fratribus initorum, conſtituimus nos præſentibus literis conſenſorem ratum habendo, qvicqvid per ipſum Patrem noſtrum, cum Dominis, Magiſtro, et Fratribus extitit ordinatum. Ratihabitionis noſtræ ſunt teſtes ſubſcripti: Hermannus Balko, Benedictus, Conradus, Fratres Domus Teutonicæ. Buguss Palatinus, Maz. Iohannes, Wenceslaus, Iohannes de Crucifitz, Zedzla Iudex, et qvam plures alii nobiles; Et ut hæc noſtra ratihabitio inconvulſa in perpetuum maneat, eam ſigilli noſtri munitione in Stretz, in Caminata*** patris noſtri, in Epiphania Domini. Anno Incarnationis eiusdem M. CC XXIII. **** duximus roborandam.

* Hac

Hac formula, Dei gratia, pater Casimiri non utitur, qvae documento est non affectati honoris, sed modestiae et submissionis, more illorum temporum, qvibus ipse aliqvando Conradus pro titulo, Dei gratia, scripsit. Ego Conradus divina miseratione Dux Mazoviae et Cuiaviae *A. 1230. et alias. Similem in modum sacri Ordinis Antistites, se miseratione divina Episcopos, scripserunt.*

* *Pruteni in diplomatibus Prussicis et Polonicis passim, Dusburgio Prutheni, laxiore vocabuli notione interdum, et nominatim in codicillis Hermanni Salzae, sive in tabulis privilegii Culmensis, Pomezani; ante recepta Christi sacra impiis simulacrorum cultibus dediti, et ideo* infideles *dicti, atqve in donationis instrumento, per Conradum Masoviae Ducem confecto,* Saracenis *annumerati, per qvos more loqvendi ecclesiastico, inde a Constantini Magni temporibus retento, pagani, atqve adeo extra cœtum diviniorem constituti, intelliguntur. Id qvod ex diplomatibus horum*

temporum liqvet. Helmoldo, ut supra mentionem inieci, Pruzi, recentiori nomine Borussi appellantur. Ineptas consectantur origines, qvi a Pruota, veteris Gothiae vocabulo, qvod prudentiam significat, aut a Prusia Bithyniae Rege deducunt. Vero propius est, Pruzos qvasi Poruzos, et Prutenos deinde, quasi Porutenos, id est Russorum, ut seqvior aetas loqvitur, finitimos qvondam esse nominatos. Qvanqvam Hartknochius probabile existimat, ita dictos, tanqvam accolas Russi fluminis, sed veteris Prussorum Geographiae rationes, nondum satis explicatae, parum iuvant, multo minus tuentur hanc coniecturam. In differt. III. de orig. gent. Pruss. et Matth. Praetorius Orb. Goth. l. II. c. 4. §. I. Prussicas olim provincias vocavit Geticas *Magister Vincentius Cadlubco sacri vir Ordinis, et Praepositi Sendomirienſis titulo clarus, ac deinde propter dotes suas, et merita Cracovienſis Antistes, qvi seculo XIII. non XII. ut putat Hartknochius, primus Polonicae gentis histo-*

historiam scripsit, l. III. ep. 31. In quo sequitur vestigia veterum, Geticas et Gothicas res confundentium, ut multis affirmare mihi licet documentis. Illud vero recte tradit Vincentius, Prussos ante Germanorum adventum, nullas habuisse urbes, contra quam plerique novi scriptores docent. Numerus annum signans, vitio temporum est depravatus. Vix dubito, et vero est similimum, pro M CC XXIII. scriptum fuisse, M CC XXXIII. Nam Equites Teutonici cruce signati, sub id tempus nondum intraverant Prussiam, neque ante annum 1226. ullum concessionis donationisve privilegium obtinuerunt. Multo ante Conradus Ensiferos ad societatem militiae accivit, et his ab hoste submotis, Teutonicos Mariani Ordinis Equites, evocavit, atque illis castrum Dobrinense cum tractu, inter Chamenzam et Cholmenzam amnes porrecto addixit, quod ex Dusburgio, et dato concessionis privilegio abunde constat. Quemadmodum vero hic Casimirus, Conradi filius,

sic fratres qvoqve eius donationem patris ratam habuerunt, qvorum et expressa mentio facta est in aliis donationum formulis, qvae etiamnum supersunt.

*** *Est conclave, in modum fornicis constructum. Architecti conclave concameratum vocant. Alii coenaculum, in qvo caminus inest, exponunt.*

***** *Vid. supra Not. p. 45.*

Formula donationis decimarum, ab Antistite Prussiæ Christiano I. Ordini Teutonico concessarum.

In Nomine Sanctæ et individuæ Trinitatis.

EGo Christianus Primus * Prutenorum Episcopus, notum facio universis, tam præsentibus, qvam futuris, qvod contuli militibus de Domo Theutonica, pro defensione Christianitatis, decimam, in territorio

torio Culmenſi, in iis bonis, qvæ Dux Conradus Mazoviæ et Cuiaviæ prædictis militibus, ſalvo iure noſtro, licite conferre potuit. Acta ſunt hæc anno ab incarnatione Domini MCCXXVIII. 5. Non. Mai. in Domo Teutonica Philippo de Halle et Henrico Boiemo, Conrado Moecho, Legatis Prusſiæ.

* *Chriſtianus Ciſtertienſis familiae inſtitutum profeſſus eſt, qvem* Conradus *Maſoviae Dux ob pietatem amavit. Receptus in ducis amicitiam, ſvaſor fuit inſtituendi Ordinis Dobrinenſis, qvo a Prusſis deleto, auctor extitit accerſendi Eqvites Hieroſolymitanos, ut inita armorum ſocietate, contra Pruſſos militarent. Hi Prusſiam, qvod opportune Duci conſilium dabat, ea conditione ingreſſi ſunt, ut qvae occuparent, ſibi acqvirerent, et ſuo ac perpetuo iure haberent. Itaqve meliori, qvam Dobrinenſes, fortuna uſi, Prusſiam magnis viribus domitam, ad* Chriſti *cultum*

traduxerunt. Idem ille Christianus ab Innocentio III. in Prussiam missus, et primus ibi Episcopus A. 1215. constitutus, summo labore, ut barbariem Prussi exuerent, adnitebatur. Qva in perfunctione qvidem erat Adelberto felicior, qvi aliqvot ante seculis, docendae religionis causa eo se contulit, sed multas tamen ea ex re molestias cepit, et saepe in periculum adductus est, usqve dum ab eqvestri Teutonicorum Ordine, durae gentis ferocia frangeretur. Dusburgius part. II. c. 4. Chronicon Montis Sereni an. M CC XV. Martinus Cromerus l. VIII. Neugebauer l. III. 15. is non tantum recte in rem Christianam consulendo, sed etiam liberaliter dando, de sacrae huius militiae Eqvitibus bene meritus est, et anno 1228. decimas suas ** *in tractu Culmensi eis assignavit, ut verba diplomatis conceptа testantur.*

** *Alii l.* Chelmensi, *qvod recentius est: cetera eius seculi diplomata habent, Culmensi. Ad qvam scripturam proxime accedit Dusburgius, terram Colmensem scri-*

ſcribens. Non eqvidem ignoro, in aliqvo Conradi diplomate lectitari Chelmenſe territorium, ſed id iuſta mendi ſuſpicione non vacat. In illo enim uxor Conradi mendoſe ſcribitur, et filii, qvos habuit, non recte omnes commemorantur. Id vero in aliis qvoqve tabulis culpa deſcribentium uſu venire ſolet.

Donatio tractus Culmenſis pleno, et perpetuo ac hereditario iure facta.

EGo Conradus divina miſeratione Dux Maſoviæ et Cuiaviæ, cunctis præſentibus et futuris, ſcriptum præſens inſpecturis, notum eſſe volo, qvod cum Pruteni, et alii Chriſtiani nominis inimici, magnam partem Terrarum mearum ipſis adiacentium deprædationibus, incendiis tam Eccleſiarum, qvam aliorum locorum, interfectionibus ac captivationibus virorum, mulierum et per-

multorum, peccatis hominum, qvi altisſimum in ſuis vanitatibus irritaverunt, exigentibus, miſerabiliter divina permiſtione vaſtaverint, eorumqve qvi Chriſtum oderunt, ſemper aſcendens et ſuper aſcendens ſuperbia invaluerit, adeo ut nec adhuc ipſum in membris vivis perſeqvi ceſſent, aut deſiſtant; non ſolum res, imo magis ipſum ſangvinem fidelium, inter infinitas, et horrendas auditu et dictu abuſiones, qvas in contumeliam exercent Creatoris, ſitientes, ſperans per viros religioſos manum Domini, qvæ nos tetigit, et flagellum indignationis ſuæ placare, eiusqve favente gratia, qvi ſuis adeſſe conſvevit per Chriſti milites, qvorum ſpes, virtus et gloria DEVS eſt, brachium fortitudinis Saracenorum conterendum, ſalutis animæ meæ ac meorum, æternæqve retributionis intuitu, ac ob defenſionem fidelium in Polonia, uxorem ea Agaſia, * filiisqve meis Boleſtao, Calimiro, Zemovito, expreſſe, de

de bona et ſpontanea voluntate conſentientibus, accedente qvoqve conſilio et conſenſu Epiſcoporum, Magnatum et Maiorum Terræ meæ dedi et contuli Hoſpitali S. Mariæ Domus Teutonicæ et Fratribus eiusdem, damus totum et ex integro Culmenſe territorium, cum omnibus ſuis attinentiis, ab eo loco, ubi Drivenca egreditur Terminos Prusſiæ, et per deceſſum eiusdem fluminis usqve in Vislam, ** et in deceſſu Vislæ, usqve ad Oſſam, et per aſcenſum Oſſæ usqve ad terminos Prusſiæ, in veram et perpetuam proprietatem poſſidendum, pleno iure, cum omni libertate, fructu et utilitate, totam terram, cum aqvis, aqvarum decurſibus, ſtagnis, paludibus, montibus vallibus, ſaltibus, nemoribus, ſylvis, arbuſtis, pratis, paſcuis omnibus cultis et incultis, viis et inviis, cum omnium eorum libera et plena utilitate et fructu, qvæ in prædictis omnibus ſunt vel fuerint inventa, apparentia, vel inculta, et

ſpecialiter ſive aurum, ſive argentum, vel alia qvæcnnqve ſpecies æris vel metallorum aut gemmarum, fontes vel venæ ſatis et qvicqvid omnino in Terra vel ſupra, vel in aqvis inventum fuit, Caſtores et omnes venationes qvarumqve ferarum, piſcationes qvoqvè piſcium omnis generis, cum ipſis aqvis prædictis, et omni eorum proventu et utilitate in piſcationibus, navigiis, paſſagiis, pontibus, molendinis et inſulis cum villis et caſtris, oppidis, grangiis, foris, monetis, pedagiis, theloneis terrarum et aqvarum, et omnino cum omnibus contentis, intra limites prædictos et pleno iure et integra libertate, ipſorum etiam limitum, ſine qvalibet diminutione, cum omni honore et iurisdictione, perfecto ac vero dominio, proprietate ac poſſeſsione omnium prædictorum, et aliorum omnium, qvæ in privilegiis largitionum, in favorabiles qvaslibet perſonas vel loca, in favorem, commodum et cautelam eorum,

qvi-

qvibus confertur, conſcribi ſolent aut poſſunt, ita ut beneficium meæ collationis, largisſimam ad omne commodum honorem et utilitatem domus et fratrum eorum, recipiat interpretationem. Nihil prorſus iuris, utilitatis, advocatiæ, patronatus, vel cuiuslibet alterius iuris, ditionis aut poteſtatis, qvocunqve nomine cenſeri poſſit vel appellari, mihi hæredibus vel ſucceſſoribus meis, in omnibus ſupra dictis, vel qvolibet eorum retinens aut reſervans, ſed omnia ea, cum libertatibus et pleno et integro iure, ſine omni dolo, fraude, raptione ac raptioſitate, ſine diminutione, ac coarctatione, cum bona et exuberante fide, et largisſimo intellectu, Domui et fratribus memoratis contuli, et collata recognoſco, me hæredes et Terram meam obligans et teneri volens *** de vinctione. Præterea qvicqvid de perſonis vel bonis omnium Saracenorum, captivatione, deprædatione, extorſione, occupatione vel ſubiuga-

iugatione, mobilium ſive immobilium terrarum vel aqvarum, atqve omnium in eis contentorum, qvolibet modo fratres prædicti adipiſci potuerint, cum omni et integro iure ac libertate ſuperius præmiſſæ donationis, nulla prorſus diminutione, coarctatione vel impedimento ipſis a me, hæredibus meis, vel qvolibet alio, qvem nos prohibere vel coarctare poſſumus, præſtando vel procurando eisdem conceſſi, cum vera proprietate et perfecto Dominio, qviete poſſidendum; Et in hoc conſenſi, cum uxoris meæ, filiorum meorum, Epiſcoporum, Baronum et Magnatum Terræ meæ conſenſu, contra omnem hominem ad obſervationem et defenſionem omnium ſupradictorum, ſecundum omne poſſe et totas vires meas, eisdem auxilium et conſilium bona fide promittens omnes hæredes ac ſucceſſores meos, et terras meas obligans mecum et aſtringens, ad ratihabitionem, obſervationem et con-

ſer-

ſervationem donationum, concesſionum, obligationum et promisſionum omnium ſupradictorum. Fratres qvoqve prædicti bona fide repromiſerunt mihi hæredibusqve meis, ſecundum DEI honorem et amorem, contra Prutenos et alios Saracenos nobis conterminos, Terram noſtram impugnantes, qvamdiu hoſtes fidei ſunt et inimici cultus Chriſti asſiſtere, et ſine dolo ac fictione una nobiſcum omni tempore militare. Ne igitur donationes et concesſiones prædictæ, celebri dignæ memoria tam utiles, qvam neceſſariæ, non ſolum ſecuritati fidelium in Polonia, qvi graves impugnationes et oppreſſiones ab hoſtibus Chriſti iam dudum ſuſtinuerunt, in præſenti proficientes, verum etiam propagationi et ampliationi SS. Fidei Catholicæ, ut etiam ipſos in fideles, qvorum exinde ſperatur converſio, per DEI gratiam profuturæ, abeant in oblivionem, aut cuiuscunqve calliditate, dolo, verſutia, ſiniſtra inter-

interpretatione debilitari, perverti, frangi, violari valeant, aut irritari, vel saltem malevola machinatione attemptari, sed potius piæ meæ donationes sanctæ firmæ maneant et inconvulsæ; Ad perpetuam præfatorum gestorum memoriam præsentem paginam testium infrascriptione mei, uxoris meæ, Episcoporum et Magnatum Terræ meæ sigillis roborari feci ac communiri. Acta sunt in Crussvvitz ante Pontes ab Anno Incarnationis Dominicæ MCC XXX. Mense Iunii, Indictione tertia. Testes horum sunt, Guntherus Episcopus Mazoviæ, Mislie **** Episcopus Cuiaviæ, Christianus Episcopus Prussiæ. Arnoldus Præpositus, V Vilhelmus Decanus, Pacoslaus Iunior, Comes Dirschovienſis, Nicolaus Cancellarius, Magister Ioannes, Magister Cancellarius, Georgius Subcancellarius, et qvam plures alii tam religiosi, qvam seculares.

Ita scribitur in prodromo Codicis diplomatici. p. 7. Ante hunc in Orbe Gothico Matth. Praetorii l. II. c. 4. p. 184. In alio Conradi diplomate edidit, Safia, *quod mendosum est, ut paulo ante annotavi. Agasia legitur apud plerosque scriptores, nominatim apud Matthiam Michovium. l. III. c. 35. Ego auctoritatem Dusburgii sequor, qui Agasiam nominavit. Martinus Cromerus Agathiam vocat, l. VIII. quem in scribendo imitantur Io. Herburtus de Fulstin hist. Polon. l. VII. c. 2. et Sal. Neugebauer l. III. Nulla hic filiae ratio habetur, cui nomen fuit Iuditbae, Miecislao deinde nuptae. Inter Agasiae nurus celebrantur Constantia et Gertrudis, Henrici Ducis Silesii filiae, quarum illa Casimiro, ista Boleslao nupsit. Inter hos filios Conradus pater A. 1236. hereditarias regiones divisit, et Casimirum Cuiaviae, Boleslaum Masoviae imposuit Ducem. Boleslaus non diu patri superstes fuit. Post hunc Semovitus frater Masoviae Dux constitutus, Gertrudem*

trudem in matrimonio habuit, qvem Russi captum necarunt, dimisso e custodia Conrado eius filio, et servato. Casimirus, Cuiaviae Dux ditioni suae adiunxit Lanciciam et Siradiam, ac vicinos, et ipsum qvoqve Semovitum fratrem, cui obvenerat Masovia, oppugnavit. Cuiaviam ceteroqvin nactus est Miesco, et idem is fuit Conradi Masoviae Ducis filius, sed in nullo, qvod viderim, diplomate, memoratus, a Dusburgio, qvi sine adiectione ducem vocat, innui videtur. part. III. c. 10. Ab aliis Miecislaus dicitur, et vulgo ob capitis vitium Cossisco. Tum Zemomislus Casimiri filius, Cuiaviae Dux factus, aliter Zemomislaus, et interdum Sermovitus nominatur, ut ex Michovio, Cromero, et aliis rerum Polonicarum scriptoribus constat. Alius est Conradus Masoviae Cirnensis, qvi sine liberis decessit. V. Cromerus, et Cromeri Epitomastes Neugebauerus l. III.

** *Visla est, qvi Pomponio Melae Visula, de situ Orbis l. III. c. 4. Plinio Vistillus.*

et

et Viſtula. H. N. l. IX. c. 14. Sed magis uſitatum Viſtulae nomen, et a Ptolomaeo expreſſum, atqve a Solino uſurpatum, cap. XXIII. Deinde conſtanter a Latine ſcribentibus ſervatum eſt, ſed Germani Sarmataeqve a veteris ſcripturae veſtigiis receſſerunt. Radevicus Iſtulam ſcripſit, de rebus geſt. Frid. Aenob. l. I. c. 1. Visla legitur in diplomate Conradi. Haud aliter nominavit Michovius l. I. c. 2. Viſſa dicitur in tabulis privilegii Culmenſis. Dusburgius more veterum Saxonum pronunciavit VViſſele, part. III. c. 10. Nusqvam Viſtulae fluminis meminit Ditmarus Merſeburgenſis Epiſcopus, qvamvis comes et ſocius fuerit Henrici II. cum bellum Poloniae inferret. Nam qvod in libro IIX. de amne *tradit, ad cuius citeriorem ripam Poloni conſtiterunt, deſcriptio loci admonet, ut de Bugo flumine accipiam, qvem alii Hypanim vocant. Conſentiunt Michovius lib. II. c. 6. et Herburtus. l. II. c. 6. Amplius pro* deceſſu Vislae, *forſan qvis legendum putet deſcenſum, uti e contra-*

rio legitur, aſcenſus Oſſae ſt. In tabulis Culmenſibus non deceſſum, ſed deſcenſum Viſſae reperio. Sed nihil muto, qvandoqvidem ſtylus eius privilegii Latinus in uno et altero capite mihi eſt ſuſpectus. In eodem Ozza pro Oſſa, Drivvanza pro Drivenca ponitur, alioqvin Drevancia dicitur, et ſupra Torunium Viſtulae miſcetur. Ceterum a Viſſa diverſus eſt Virra amnis, non Sarmatiae, ut Viſtula, ſed Occidentalis Saxoniae limes, idem eſt, qvi Velleio et Tacito Viſurgis, Gvaldoni Viſcera, Engolismenſi Monacho VViſora, et VViſuracha apud plerosqve Francorum ſcriptores, VViſura et VVirraha apud Adamum Bremenſem l. I. c. 2.

*** *Inqvinate legunt,* de vinctione. *Ita enim deſcripſit et edidit Matth. Praetorius p. 155. Rectius emendatiusqve in prodromo Codicis diplomatici Leibniziani ſcriptum eſt, de evictione. Nam et haec locum habet, et praeſtari debet in donatione, qvae fit ob cauſam, nempe gerendi belli, adverſus nominis Chriſtiani*

ſtiani hoſtes et barbaros, qvos compeſci et ſubigi, ſubactosqve ad Chriſtianam religionem adduci optabat, volebat, et flagitabat auctor negotii Conradus. Sane verbum evincendi *ſignificatu iuridico in tabulis Guntheri Ep. legi.*

**** *Mislie. Sic et in prodromo Codicis diplomatici lego, in aliis autem et eodem anno confectis editisqve a Conrado tabulis ſcribitur, Michael Epiſcopus Cuiavienſis.*

Inſtaurata Chriſtiani

I. Epiſcopi donatio.

In Nomine Sanctæ et individuæ Trinitatis, Amen.

CHriſtianus Primus Prusſiæ Epiſcopus omnibus in perpetuum. Evaneſcunt in tempore, niſi recipiant a viva voce teſtium, aut a ſcripti memoria firmamentum. Proinde ad notitiam tam præſentis ætatis, qvam futuræ poſteritatis præſenti

ſcripto cupimus pervenire. Qvod nos Fratribus hoſpitalis S. Mariæ Teutonicæ Hieroſolymitanæ, qvi ſe abiectis illecebris mundi, Domino ſacrificium obtulerunt, ſe murum pro Domo Domini ponentes, atqve ad humiliandos Crucifixi hoſtes, et ad ampliandam nominis ſui gloriam ſe viriliter accinxerunt, in territorio Culmenſi, contulimus totum, qvod ab Epiſcopatu Plocenſi, in ſubſidium Epiſcopatus Prusſiæ ſuſcepimus et habuimus, videlicet de Eccleſiis conferendis et decimarum proventibus, nobis in reliqvis Epiſcopalem Jurisdictionem reſervantes; dictis qvoqve Fratribus, Omnem Conradi Ducis Maſoviæ donationem, in eadem Terra nobis collatam, cum omni iure ac proprietate, ſicut ab eo accepimus, bona voluntate donavimus, nec non prædium in Bezin, qvod ab hæredibus Chriſtiani comparavimus cum omni utilitatis proventu ſæpe dictorum Fratrum uſibus cedere volumus

in

in perpetuum. Vt autem huius nomine largitionis traditio in perpetuum firma omnibus modis permaneat, nec ab aliqvo valeat infirmari, præsentem paginam sigilli nostri duximus inpresſione roborari. Huius rei testes sunt: Albertus Abbas Velegradensis, Conradus, Geroldus, Dithmarus Subprior de S. Cruce. Henricus Sacerdos, Gebolfus Fratres Domus Teutonicorum. Fridericus, Henricus, Vlricus et alii plures. Acta sunt hæc Anno ab Incarnatione Domiui M. CC. XXXI. Anno Domini Gregorii Pontif. IX. qvarto, Imperante Domino Friderico Glorioſisſimo Rom. Imperatore feliciter! Amen.

* *Sedes domiciliumqve huius eſt Plocum, urbs ad Viſtulam ſita. Diverſum ab ea Polocium, ad Dunam amnem, Lithuaniae finibus continetur. Epiſcopus illius urbis in diplomate Andreae Epiſcopi Plocenſis ſignatur litera G. Guntherus, qvi exemplum Conradi Ducis, et Chriſtiani I. Epiſcopi ſecutus, propenſi*

*in Marianum Ordinem animi, cumulatae*q*ve liberalitatis exemplum reliq*v*it, attributis ei omnibus praediis ac poſſeſſionibus, q*v*as in tractu Culmenſi habuit, et alibi ſubſcripſit ut teſtis, q*v*od diploma, paulo ante a me allatum oſtendit. Vir ceteroq*v*in vita, et more ſanctus, in ea tempora incidit, q*v*ibus Pruſſi Plocenſem agrum excurſionibus vaſtarant. Cuius donationem, q*v*ae ad Ordinem Marianum pertinet, ratam fecit Andreas, Guntheri in Epiſcopi Plocenſis dignitate ſucceſſor. Diploma ſubiungo, cum propter argumenti affinitatem, tum ob magnam de Ordinis virtute opinionem, atq*v*e haud minorem de ea imposterum ſuſtinenda expectationem, ut his adeo rebus ad augendam fortitudinis laudem acrius incitaret. Q*v*a in parte magnopere elaboravit Epiſcopus Vladislavienſis VVolimirus, in diplomate horum temporum litera W. ſignatus. Saepe et in tabulis huius aevi mentio ſit, cuiusdam Abbatis, nomine Opizonis, q*v*i ab aliis, maxime recentioribus, Opiſo ſcri-

scribitur, sed prior scribendi ratio auctoritate diplomatum confirmatur, hoc titulo, cum legatione sacra fungeretur, literis ab eo datis praescripto. Frater Opizo monasterii S. Pauli de Mazono Abbas, Apostolicae sedis Legatus. Michovius scribit, de Meszano, qvi, eodem teste, A. 1246. Danielem, ut Russiae Regem, solenni consecrationis ritu inauguravit, l. III. c. 44.

Concesio Guntheri,

Episcopi Plocensis.

In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. Amen.

NOs divina miseratione Guntherus Episcopus V. Decanus Plocensis cum nostro Capitulo universis Christi fidelibus tam praesentibus qvam futuris in perpetuum. Qvia religiosam vitam eligentibus, congrua consideratione conspiciendum est, et providendum, ne unqvam a Dei servitio et devotione per illicitas

controverſias abſtrahantur, et maxime militibus Chriſti, qvi perſonas ſuas pro Chriſti amore, periculo ſupponere non formidant; Ideo nos Zelum Dei habentes ad honorem et commodum S. Eccleſiæ Dei, milites Chriſti, ſcilicet Fratres de Domo Teutonica Hieroſolymitana, qvi inimicis Chriſti audacter reſiſtunt, et eos etiam fortiter impugnant, in qvantum poſſumus, in ſua conſtantia fovere volumus et manu tenere. Cum igitur Illuſtris Dux Conradus Mazoviæ et Cuiaviæ, Terram Culmenſem, cum omni utilitate et proventu, qvi nunc eſt, vel impoſterum inveniri poteſt, cum omnibus caſtris et prædiis et omni libertate et immunitate, nihil ſibi in prædicta Culmenſi Terra Iuris ac Patrimonii reſervando, dictis fratribus perpetualiter contulerit poſſidendum, videlicet infra terminos Dryvvancæ defluentis in VVislam, et VVislæ inferius, usqve in Oſſam, et Oſſæ ſuperius usqve in

Prus-

Prusſiam. Nos qvoqve conſide-
rantes devaſtationem Epiſcopatus
noſtri ibidem per paganos Pruſſos,
volentes etiam prædictos Fratres no-
ſtris donationibus, ad pium propoſi-
tum, qvod habent, ſuper commodo et
pace fidelium ardentius incitare, o-
mnia prædia et poſſeſſiones in prædi-
cta Terra Culmenſi ad Epiſcopatum
noſtrum pertinentes tam in caſtris,
qvam in villis, agris, paſcuis, ſilvis, a-
qvis cæterisqve appenditiis, et omnes
decimas et Eccleſias, et earum Patro-
natum cum omni ſure et libertate,
qvæ ibidem habemus, vel habere pos-
ſemus, dictis fratribus liberaliter con-
ferimus in veram proprietatem, eis-
dem fratribus perpetualiter poſſi-
denda, infra terminos ſupra dictos,
hoc duntaxat excepto, qvod Chriſma
et conſecrationes Abbatum, Mo-
nialium, Eccleſiarum et alia Sacra-
menta Eccleſiæ a nobis expoſcantur,
per qvæ noſtræ prætaxatæ donationi
eisdem ſcilicet fratribus in nullo aut

derogari qveat aut deperire. Vt autem hæ meæ donationes ratæ sint imposterum, et a nullo homine possint inviolari, præsentem paginam nostris sigillis scilicet Episcopi et Chorali communivimus. Actum in Poloczk. Anno Dominicæ Incarnationis M. CC. XXX. 15. Calend. April.

* *Recentiora, praesertim Regum Poloniae, nominatim Casimiri, et Sigismundi Augusti diplomata apud Davidem Chytraeum, Iacobum Prilusium, et Casp. Ceumern extant, sed privilegium, qvod Henrico VII. Teutonica lingva editum, p. 133. a Ceumernio ascribitur, ab aetate, et styli forma illius temporis, multum recedit, et merito removetur.*

Exem-

Exemplum epiſtolae fecialis, qvam Magnus Moſchoviæ Dux ad Magiſtrum et reliqvos Livoniae proceres miſit in Latinum ſermonem converſae.

VIlhelme Livonorum Magiſter, Archiepiſcope Rigenſis, Epiſcope Torpatenſis, cæteriqve Epiſcopi, et univerſi Livones, Miſiſtis ad nos legatos veſtros, viros bonos Iuanum Bockhorſt, Orhonem Grothuiſſ, et Vuolmarium Vurangel, cum reliqvis adiunctis, ut capite coram nobis inclinato, peterent Teutonico Magiſtro, Archiepiſcopo Rigenſi, Epiſcopo Torpatenſi, cunctisqve Livoniæ populis hanc a nobis gratiam fieri, ut dato ad præfectos noſtros Naugardiæ et Pleskoviæ mandato, pax cum Livonibus iuxta veterem morem ſanciretur. Nos vero Præfectis noſtris mandavimus, nullam vobiſcum propter veſtram iniuſtitiam pacem firman-

mandam, volentes hanc veſtram iniuſtitiam vindicare. Cæterum legati veſtri Iuanus Bockhorſt cum ſuis collegis eam pacem a nobis exorarunt, iis conditionibus, ut Magiſter Teutonicus, Archiepiſcopus Rigenſis, et Epiſcopus Torpatenſis, cunctiqve Livones, qvicqvid iniuſte contra nos moliti ſunt, id reſtituant et reſarciant. Præterea illico noſtris negotiatoribus concedant cum ſuis mercatoribus negotiari, omnisqve mercium generis, utpote ceræ, ſevi, loricarum, et armorum permutationes facere. Item ut epiſcopus Torpatenſis conqvirat tributum omnium præteritorum annorum, et univerſa debita ex tota dioceſi Torpatenſi, de unoqvoqve capite Marcam Germanicam, tertio pacis firmatæ anno mittendam. Atqve hoc noſtrum tributum deinceps ſingulis annis dare debeat Epiſcopus ſine dilatione, omnibus qvoqve ſervitium aut miniſterium nobis præſtare volentibus, ex qvacunqve natione veniant,

citra

citra ullum impedimentum, liberum in noſtras regiones acceſſum et commeatum concedant. Regi qvoqve Poloniæ et Magno Duci Lituaniæ, aut ſi alius qvis in Regem Poloniæ aut Magnum Ducem Lituaniæ ſurrogetur, nullas ſuppetias et auxilia ulla in re ferant. Qvicqvid præterea literæ ſuper pace firmata confectæ, qvæ multoties deſcriptæ ſunt, et qvarum nomine crucem coram omnibus vobis oſculati ſunt, continent, ea omnia rite legitimeqve præſtetis. Inſuper et præfecti noſtri Magnæ Naugardiæ et Plescoviæ has de pace inita literas ad vos per nuntium ſuum Melardum Torpiko miſerunt. Teutonicus qvoqve Magiſter, Archiepiſcopus Rigenſis, Epiſcopus Torpatenſis, ceteriqve Epiſcopi loco et vice omnium Livonum ſuper his literis, crucem exoſculati ſunt, et dextras porrexerunt: Octo etiam ſigillis easdem coram Melardo Torpiko communiverunt, et per eundem Melardum nuntium ad noſtros

ſtros præfectos ita communitas transmiſerunt, eum in finem, qvod iuxta literarum tenorem omnia nos et præfectos noſtros concernentia, iuſte et legitime exeqvi velletis, prout in literis ſcriptum continetur, in hunc usqve diem. Horum omnium nihil adhuc præſtitiſtis. Interea nos ne Chriſtianus ſangvis temere effunderetur, ſæpenumero per literas vos monuimus, ut hæc pacta iuxta contextum literarum de pace conſcriptarum, iuſte et recte exeqveremini. Similiter per legatum veſtrum Gerhardum Flemmingk et nuntium Valentinum, item per Melchiorem cum ſuis adiunctis, itemqve per Henricum Vuinter, nobis nuntiavimus, ut a verbis iniuſtis et minime veracibus temperaretis, utqve probos et integros vos præſtaretis in omnibus cauſis, iuxta literas pacis et Crucis oſculum, veſtramqve culpam agnoſceretis, ne ſangvis innoxius effunderetur. Vos vero noſtram clementiam ſpreviſtis, et literas

liberi

liberi commeatus a nobis poſtulaſtis, ea ſolum de cauſa, ut res longius protelaretur. Et qvoniam legem divinam, omnemqve veritatem poſtpoſuiſtis, nec de crucis oſculo qvicqvam cogitatis, noſtramqve gratiam et clementiam aſpernamini, ea propter meditamur, invocato divino auxilio, iuſtitiæ noſtræ ergo, et veſtræ iniuſtitiæ, qvam in crucem Altiſſimi deſignaſtis, vos ulciſci, et veſtram prævaricationem vindicare. Deo igitur nobis auxilium præſtante, et alterutrorum ſangvinem profundente, certum erit eum non noſtram ob culpam, ſed veſtram iniuſtitiam profundi. Hoc ſcitote nos non minus ac vos eſſe Chriſtianum Principem, nec unqvam gratum nobis fore ſpectaculum, ſi ullius ſangvinem innocentem a nobis profundi videamus, ſive Chriſtianus ille ſit, ſive gentilis. Vt autem iniuſtitiam veſtram agnoſcatis, decrevimus nunc magnificam et præpotentem noſtram virtutem hac epiſtola, qva bellum vobis

bis indicimus ad effectum deducere, qvam epistolam per hunc nostrum ministrum ad vos destinamus, iubentes, ne invitum illum detineatis, sed liberum ad nos regressum concedatis. Datum in nostro dominio aula et urbe nostra Moscko. anno 7067. * Mense Novembri.

* *Congruitannus Epochae Christi Dionysianus 1559. Vtitur enim Epocha, sive ut artis periti vocant, Aera Constantinopotana, etiamnunc Moschis, Bulgaris, Illyriis, Albanis, Georgianis, et Graecis, eorumqve accolis usitata. Rationes temporum facile ineat, qvi de anno dato 7067. qvem epistola ostendit, annos 5508. deduxerit, et rationes confecerit idoneas, atqve cum fastis CP. apprime consentientes.*

(o)

INDEX
Rerum praecipuarum.

Quae Lit. D. affixam habent, in Diplomatibus leguntur.

A.

AEmulationes inter Ordinem & Episcopos Livoniae 43.63.82.310. Livoniae pernicioſae 148.152.351

Aera Conſtantinopolitana apud Moſchos in uſu 80. D.

Albertus Marchio Brand. ultimus Magiſter generalis in Prusſia 334

Albertus I. Rigenſium praeſul auctor inſtituendi Ordinis Enſiferorum 180.192. tertiam redituum ſuorum partem Ordini inſtituto attribuit 181. urbem Rigam extruit 193

Albertus II. primus Rigenſium Archiepiſcopus 204.
Alexander praeſul Torpatenſium in praelio perit 26.
Aſſiſiæ vox qvid in Iure civili ſeqviorum temporum ſignificet. 40. D.
Aſtracanenſe regnum Scythis eripitur a Moſcho 346
Audacia ſine conſilio irrita 19

B.

Belli iuſtitia animos addit militi 109
Borgius Ord. Liv. Magiſter Antiſtitem Rigae in carcerem coniicit 100. ius eligendi epiſcopum Rigae ſibi vendicat 324. Magiſtratus dignitate privatur 100. 324
Bredenbachius laudatur 344. 349
Brenenſium comitum familia 25. D.
Brunsberga unde nomen adepta 212
Bulla habitus Livonici 316
Buskenburgum exſtruitur 93

C.

Calabriæ regnum iure dotis acqviſitum ab Henrico VI. 6. et cum Imperio coniunctum. ib. D.

Caſa-

Caſanenſe regnum tranſit a Scythis in poteſtatem Moſchi 348
Chriſtophorus II. rex Daniae fidem Eſthoniae obſtringit de non abalienando ducatu 256
Chytraeus notatur 222. 265.
Cluverius notatur 179
Componere pecuniam qvid in iure publico ſignificet 24. D.
Connor *Bernard.* notatur 335. 343
Conradus Vallenrodius titulum generalis Pruſſiae Magiſtri ſibi ſumit 277
Conradus Maſoviae Dux, qvare a Dusburgio Dux Poloniæ vocetur 36. D.
Cromerus notatur 258
Curones a Strabone memorati 198
Culmenſis tractus Sodalibus Teutonicis donatur a Duce Maſoviae 37. D.

D.

Dameravius praeſulatu Torpatenſi auctoritate Magiſtri Ordinis privatur 66
Daniae reges ex qvo tempore ſe Duces Eſthoniae ſcripſerint 229
Dani ex finibus Eſthoniae excedunt 58
Deſerendi verbum de qvibus dicatur 222
Diſſaiſire qvid priſco loqvendi more deſignet. 24. D.
Diſſidia infauſta inter epiſcopos Livoniae et Ordinem 43. 48. 82. 130. 135. 310

Dobrinum Polonis eripitur ab eqvitibus Prusiae 78
Dufresnii gloſſarium ſupplendum 39. D.
Durbinum infauſto Ordinibus praelio notabile 213
Dusburgius laudatur 38. 44. D.

E.

Eberhardus Monheimius Ord. Liv. Mag. Rigam expugnat et vectigalem facit 50. arcem Rigenſem aedificat 51. et Doblinenſem atqve Mitovienſem 256
Eichhornius notatur 199
Eqvites in Ordinem cooptati non mutaverunt nomina 247
Ericus Rex Dan. primus titulum Domini Eſthoniae ſibi vendicat 229
Eſthonia in ditionem Ordinis Liv. tranſit 59. 265. a iurisdictione generalis Magiſtri Prusiae eximitur 316. 339

F.

Finagium qvid uſu priſco deſignet 43 D.
Fridericus II. Auguſtus titulo regis Hieruſalem uſus 6 D.
Fürſtenbergiorum familiae 350

G.

Gedanum qvando extructum 260. in potestatem eqvitum Prusiae pervenit 259
Gedanensis Marchiae primus meminit Kadlubko 260
Germani in Livoniam se conferunt mercaturae causa 53. male tractantur ab Esthonibus 54
Gersdorffiorum familiae 303
Grunovius notatur 21. D. 215. 247
Gvagvinus notatur 201
Gvaldo poeta historicus 195
Gustavus I. Sved. rex societatem init cum Ordine Livonico adversus Moschum 127

H.

Hartknochius notatur 246
Hennenbergerus emendatur 209. 225.
Hermannus Balko Ord. Liv. Mag. provisoris titulo contentus 9
Hermannus Lealensis Antistes in praelio occumbit 27. 223
Hornerus notatur 181. 187. 194.

I.

Iagellonis aetas 276. conversio ad sacra Christiana 276

Iagellonidarum succesſio aegre fertur a Sileſiis 281
Imhoffius laudatur 337
Ioannes Baſilides Moſchorum regulus Novogardiam expugnat 326. Scytharum iugum excutit 327
Ioannes II. Moſchorum rex Scythis regnum Caſanenſe et Aſtracanenſe eripit 346. Tzaris titulum inde ſibi ſumit ibid. Livoniam crudeliter infeſtat 152
Ioannes Oſthonius Ord. Liv. Mag. Ordinem Prusſicum deſerit 94. tabulas publicas exurit 96
Ioannes Vallenrodius Archiepiſcopus Rigenſis ad Concilium Conſtantienſe ablegatur 288
Iobus Vlſenus Ord. Liv. Mag. praeſulem Torpatenſem inſtituit 66
Ivanogroda Rusſiae Limes adverſus Livonos et Finnos 333
Iulinum florentisſimum olim emporium Pomeraniae 329
Ius eligendi Magiſtros Ordinis penes qvos fuerit 88. 308. 312
Ius eqveſtre in Livonia conditur 189
Ius Lubecenſe diu in Prusſia viguit 342. qvando antiqvatum fuerit 343

K.

Kadlubco primus Polonicae gentis hiſtoriam ſcripſit 50
Kelchius laudatur 181. 276
Koialovizius notatur 280. 288

L.

Liberalitas principibus digna virtus D. 11
Lithuaniae ducatus cum regno Poloniae coniungitur 299
Lithuani ad Chriſti ſacra traducuntur 63
Lithuanorum primus Patriarcha Ioannes Sintenus 70
Livonia in civitatem Germanicam adſcripta 9. D. a Saxonibus et Veſtphalis occupata ib. inteſtinis bellis conficitur 42. 135. 197. 310. in fidem et clientelam, deinde in ditionem Poloniae recipitur 170. qvibus conditionibus 174. 176

M.

Magiſtri ordinis Tevtonici qvo tempore cœperint 20. ex qvo Magiſtri generales appellati ſint. 21. 23. D.
Magiſtri Ord. Liv. ius creandi epiſcopos ſibi ſumunt 66. tributum poſtu-

lant ab Antiſtite Torpatenſi 71. ſed non obtinent 72. 278
Mariaeburgum aliud Livoniae aliud Prusſiae 258. qvo tempore utrumqve extructum 259
Mariaeburgenſis arx qvando aedificata 234.
Maſovia regno Germaniae iungitur 43. D.
Meinardus primus Livoniae antiſtes 181
Mendo *Andr.* notatur 34. D.
Mendogus rex Lithuaniae ſacra Chriſtiana recipit 14. 200. ſed mox iis nuntium mittit 205. et Chriſtianos affligit. 213. fœdo mortis genere perit 24.
Menius *Frid.* notatur 201
Meſtrinus Pomeraniae Dux Premislaum Ducem Poloniae heredem ſcribit 246.
Michovius laudatur 328.
Micraelius notatur 241
Mitovia extruitur 24. Semegalliae ditione continetur. 222. vulgo tamen ad Curoniam refertur ibid.
Moſchoviae nomen unde deductum 348.
Moſchus tributum exigit a Livonis 142. Livoniam praedationibus infeſtat 150. Narvam obſidet et expugnat 149. Torpatum occupat 152. et vrbis antiſtitem captum in Moſchoviam mittit ib.
Moſchorum crudelitas 151. 152.

Nar-

N.

Narvae Livonicae et Rusficae initium 326
Nobilitas Polona et Lithuana privilegiis exaeqvata 287
Novogardia expugnatur a Rusfis. 327. olim emporium Rusfiae florentisfimum 329
Numi Conradini, a qvo Magistro generali huius nominis nomen adepti 311

O.

Oefiliae antistes fubigitur a Magistro Ord. Liv. 67
Oefilienfes Germanis infesti Revaliam oppugnant 54. fed victi ad internecionem caeduntur ibid.
Oldenburgerus notatur. 340
Ordo Enfiferorum in Livonia qvando institutus 1.180. cum Ordine Teutonicorum in Prusfia coalescit 7.188.
Ordinis Teutonici Magistri ex qvo tempore Domini Prusfiae vocari voluerint 277. qvando Magistri generales appellari coeperint D. 21.23.
Ordinis infausta praelia ad Tannebergam 80.278.292. et in Lithuania, 86.304
Ordo Samogitiam et Dobriniam amittit 285.

Ordinis ſuperbia 249
Ordinis et epiſcoporum diſſidia 82
Ordinis auctoritas paulatim decreſcit 312. 341
Ordo Livonicus qvo tempore ab Imperio Teutonicae ſodalitatis exemptus 117. 336
Ordo Prusſicus in fidem ſe dat Polonis 96. 315
Orgo Livonicus imperio Poloniae ſe ſubmittit. 170
Ordo Dobrinenſis inſtitutus 53. D. a Prutenis deletur ibid.
Ordo Danebrogicus a Voldemaro II. R. Dan. inſtitutus 183. reſtitutus a Chriſtiano V. 184.

P.

Paſſagium qvid antiqvo uſu ſdeſignet D. 39
Paſtorius notatur 289
Plescovia Ruſſis eripitur 26
Plettenbergius Mag. Ord. Liv. a Karolo V. in tabulas Principum refertur 117. 335. Ordinem Livonicum Imperio Teutonicae ſodalitatis eximit 336. comparatur cum Iuda Maccabaeo 337

Polonia in ſocietatem adſciſcitur a Lithuanis adverſus Ordinem Prusſiae 257.
Prusſiae conciliatur 287
Praetorius notatur D. 35
Pruteni unde nomen ſortiti 50. D. Saracenis annumerati propter Paganiſmum 49. 58. D. ad Chriſti cultum transducuntur 54. D. ad priſtinos Paganiſmi mores relabuntur 211. denuo ad ſacra perducuntur 212
Prusſiae pars magna ad Polonos pervenit 315
Ptolemaeus Livoniae meminit, ſed Levoniam eam vocat D. 6
Ptolomais olim Ace appellata D. 8
Pugnandi ardor aliqvando calamitoſus 19

R.

Revalia muro cingitur 253
Revaliae privilegia 119. 339
Riga qvo tempore extructa 193. et Metropolis facta 204. expugnata et vectigalis facta a Monheimio 256. Archiepiſcoporum imperio reſtituitur auctoritate Imperatoris et Pontificis 272. ſed denuo in Magiſtrorum poteſtatem venit 96. auctoritate Bonifacii IX. P. R. 70

Rigenſium Antiſtites habitum mutant antea communem cum Magg. Ord. Liv. 64. 273. Ordinis habitum denuo aſſumunt 316
Rigenſis antiſtitis auctoritas agnita a reliqvis Livoniae et Prusſiae epiſcopis 323
Rigenſes Ordinis arcem demoliuntur 100
qvam inſtaurare coguntur 105
Ruſſovius notatur 193
Ruſticorum in Livonia tumultus. 54. 262.

S.

Samogitae olim Maſſagetae dicti 206. 282. gens inqvieta & perfida 281. ad ſuſcipienda Chriſti ſacra traducuntur 293
Schutzius notatur 241. 289
Semegalli a Livonis ſub iugum mittuntur 38. 238.
Septentrionis regna conjuncta in poteſtatem Aqvini Norvagiae regis cedunt 266
Siciliae regnum iure dotis acqvirit Henricus VI. 6. et cum Imperio coniungit ib. D.
Sileſia ſecedit a regno Poloniae 281. Iagellonidarum ſucceſſionem aegre ferens ibid.
Sonnenburgenſis arx conſtruitur 56

Svedi-

Svedi possessiones qvasdam in Prussia accipiunt 317. sed non retinent ibid.

T.

Tannenberga ingenti Ordinum clade memorabilis 80. 278. 292
Tevtonici Ordinis initia 8. 12. D. cur mentione domus sacrae describantur 18. D. primus Praefectus ib.
Thuanus laudatur 332
Tolsburga conditur 98. 319
Transactio Kerekholmiensis 95
Tzaris titulus qvo tempore primum a Mosoho usurpatus 346

V.

Vectigal falangaticum 24 D.
Venda sedes Magistrorum Ordinis Liv. 105
Vilna princeps Lithuaniae vrbs conditur 257
Vinno primus Ordinis Liv. Magister 1. Livonos ad cultum Christi perducit 185. plures Livoniae arces condit. 2. ex insidiis interficitur 4. 185
Virra amnis Velleio et Tacito Visurgis 66. D.
Vistula vario nomine memorata 65

Visby-

Visbyum celebre olim emporium Gothlandiae 329
Vitoldus Lithuaniae Dux pontificatum et ſacerdotia inſtituit 282. legationem mittit ad Conſtantienſe concilium ibid.
Vittenſteinium in Eſthonia conſtruitur 24
Voldemarus II. Dan. rex in Livoniam tendit 2. 182. adverſus barbaros pugnans ſignum victoriae divinitus obtinet 182. Ordinem qvi Danebrogae nomine appellatur, inſtituit 183
Volqvinus Ord. Liv. Mag. Fellinum extruit 5. auctor eſt conſociationis Ordinis ſui cum Ordine Tevtonico 7. 187
Vrbium periodi fatales 329

FINIS.